

CAROLI KEMPFII

OBSERVATIONES

IN

JUVENALIS ALIQUOT LOCOS

INTERPRETANDOS.


CAROLI KEMPFII

OBSERVATIONES

IN

JUVENALIS ALIQUOT LOCOS

INTERPRETANDOS.



BEROLINI

PROSTAT IN LIBRARIA FRIDERICI NICOLAI

MDCCCXLIII.

CAROLO LACHMANNO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

D. D. D.

AUCTOR.

PRAEFATIO.

Inter omnia, quae apud Romanos floruerunt poetices genera, unam satiram et inventam esse a Romanis, et inde a primis statim initiis usque ad posteriora tempora a Graecarum literarum aemulatione prae ceteris liberam mansisse, vix iam ullo indiget argumento. Et nota sunt profecto Horatii, in hoc ipso potissimum opere excellentis, verba [1]): Lucilium Graecis intacti carminis fuisse auctorem; notum subtilissimi antiquitatis iudicis Quintiliani illud [2]): „satira quidem tota nostra est.“ Iam, si, eodem teste Quintiliano, eius etiam temporibus Lucilius multos ita deditos sibi habuit amatores, ut eum non eiusdem modo operis auctoribus, sed etiam omnibus poetis praeferre non dubitarent, id hac propria Romanaque illorum carminum indole factum esse, persuasum habeo. Etenim omnia, quae comparata sunt cum satira Graecorum scripta, tantopere ab hoc genere discrepant, ut levi opera et possint removeri et remota sint pleraque. Ita, quae per plura deinceps secula artiore quodam vinculo cohae-

---

1) Serm. I. 10.
2) Inst. or. X. I. §. 93.

rere putabantur, satiram satyricamque Graecorum poesin nihil habere adfinitatis, sed propter fortuitam tantum nominis similitudinem comparatas esse atque confusas, dudum iam Casaubonus docuit egregio libello „de satyrica „Graecorum poesi et Romanorum satira" (Par. 1605). Nihilo secius etiam post eum fuere, qui inveteratorum, ut fieri solet, tenaces errorum, illam opinionem repeterent eandemque canerent cantilenam. Quapropter melius iam, sumta certe ex ipsa re quadam similitudine, comparassent Archilochi et Hipponactis carmina, quae tamen, ad certorum hominum infamiam ignominiamque magis, quam ad ipsa vitia per se carpenda edita, non sunt talia, ut normam quasi praebuerint satiricis Romanorum poetis, quam sequerentur [1]). Non negem, contra genus magis quam contra homines pugnasse Timonem Phliasium parvis illis iocosisque didacticis carminibus, quae *σίλλοι* vocabantur, sed illorum quoque, quantum ex paucis, quae ad nos pervenerunt, fragmentis iudicari licet, parva tantum est cum satira similitudo, quum Timo, Pyrrhonis deditus doctrinae, philosophorum modo alios duces sequentium opiniones in ludibrium vertere conatus ceterorum hominum vitia non adeo videatur curasse. Sed et horum et aliorum denique poetarum in simili versantium argumento tam pauca exiguaque supersunt fragmenta, ut certi aliquid statuere prorsus nequeamus. Una tantum, mea quidem sententia, proxime ad satiram accedit antiqua Graecorum comoedia, idque iam Horatius dixit (serm. I. 4.)

Eupolis atque Cratinus Aristophanesque poetae
Atque alii, quorum comoedia prisca virorum est,
Si quis erat dignus describi, quod malus, aut fur,
Quod moechus foret, aut sicarius, aut alioqui
Famosus, multa cum libertate notabant.
Hinc omnis pendet Lucilius, hosce secutus
Mutatis tantum pedibus numerisque etc.

Tamen ne hae quidem tam arte inter se coniunctae sunt,

---

1) Cf. Heinrich. ed. Iuv. vol. II. p. 15.

ut non maximae possint proferri diversitates, praesertim, si utriusque spectes originem, consilium, effectum[1]). Videmus enim antiquae comoediae rationem esse talem, ut ioco et hilaritate delectet spectatores lectoresque, quod si ademeris totam delebis carminis indolem, neque habebis comoediam. Satirici contra poetae mereque didactici, quales Persius imprimis et Iuvenalis, cuius versus indignatio fecit[2]), spreto fere illo delectandi studio, prodesse tantum volunt. Quum comoedia omnium perversitatum et vitiorum deformitatem ridicule augeat et praeter naturam, ut ita dicam extollat, satira, ne fide careat, sinceris semper coloribus vitam depingere debet. Quia autem inania hominum studia et facinora prae ceteris ridendi praebent materiem, in iisdem rebus saepissime versatur comoedia, in quibus satira.

Ita quum habeamus carmina e proprio Romanorum ingenio profecta, miro quodam modo fit, ut eadem res, quae in legendis iis maxima nos afficit voluptate, maximam simul intellegendis afferat difficultatem. Namque, quum ipse dicat Iuvenalis sat. I. v. 85.

> Quidquid agunt homines, votum, timor, ira, voluptas,
> Gaudia, discursus, nostri est farrago libelli.

nulla alia ratione populi alicuius intimam quasi vitam me-

---

1) Miram quidem narratiunculam I. Laur. Lydus de mag. Rom. I. 41 memoriae tradidit, quam si sequeremur, etiam rhythmi formam satira a Graeco dramate duxisset. Perhibet enim Rhinthonem Tarentinum hilarotragoedias numero heroico scripsisse, itaque ansam dedisse Lucilio, ut satiras eodem numero componeret. Putat Osann. (de Plaut. Amphitr. in Mus. Rhen. ed. a Welckero II. p. 322. sqq.) scripsisse Rhinthonem permixtis hexametris et iambicis versibus; sed quum nullus alius scriptor de hac re verba faciat, et omnia omnino, quotquot ad nos pervenerunt, Rhinthonis fragmenta iambico metro sint scripta, equidem potius cum G. Hermanno errasse crediderim I. Lydum. Et, quum Ennius iam hexametrum versum in Latinum sermonem introduxerit, haud dubie hunc potissimum imitatus Lucilius satiricae quoque poesi illud metrum adhibuit.

2) Cf. sat. I. 79.

lius cognoscere possumus, quam legendis satiricis eius carminibus. Sed quia ad occultiorem plerumque domesticam vitam spectant, cuius ineptias aut in ludibrium vertunt, aut acerba carpunt vituperatione, accurata iam omnium illius populi morum atque consuetudinum cognitione opus est ad intellegenda haec carmina. Itemque, quum in ipsa satirae natura positum sit, ut saepissime in singulas invehatur personas, quae pravitatis cuiusdam quasi exempla perstringantur, quum oblata opportunitate ne a principibus quidem rei publicae viris abstineat, ubi maxime offendit nuda veritas, poetae velamine quodam hanc nuditatem circumdare student, quod primo quidem aspectui obtegat illam nuditatem, mox autem veram formam quasi per nebulam recognoscendam nobis praebeat [1]). Quam ob causam qui tanquam timidos ignavosque obiurgare velit poetas, libenter iis condonabit, imperatorum illius temporis crudelitatem, delatorum nequitiam, omnium denique hominum iracundiam reputans. At dicat fortasse aliquis, nimis providum cautumque videri Iuvenalem, quippe qui vivos aggrediendi formidine se experiri velle dicat, (I. 170.)

quid concedatur in illos,
Quorum Flaminia tegitur cinis atque Latina

Sed non ita est. Notat, ut omnes omnino satirarum scriptores, suorum maxime temporum mores; pertinent autem hi versus ad veritatis illam dissimulationem, de qua modo dixi. Interpretis est, res ac personas a poeta velatos detegere nudeque proponere; quod si non assequitur peccat. Sed saepius fere in contrarium prorsus viri docti inciderunt errorem, ut sub apertis verbis latentem aliquem suspicarentur, de quo ne cogitavit quidem poeta; itaque factum est, ut in Persii satiris omnes inde a scholiastis interpretes Neronis maxime personam in verba saepenumero intulerint, quibus nihil inest eiusmodi; neque parva

---

1) Ad idem fere dicendi genus eam quoque locutionem adnumerandam esse arbitror, quam εἰρωνείαν Graeci vocant.

omnino opera in utriusque et Persii et Iuvenalis enarratione ponenda restat, ut a vanis illis interpretum hariolationibus superstitionibusque liberentur.

Superest alia res, ad quam nondum satis animum adtenderunt, qui explicanda haec carmina aggressi sunt. Pluribus enim, quas longum hic est enumerare, causis verisimile redditur, poetam multum ac diu arti grammaticae et rhetoricae operam dedisse; quapropter, quum in utrisque haud dubie versatus fuerit literis tam Graecis quam Latinis, non adeo mirum, quod doctus poeta libenter prae se tulit illam doctrinam atque eruditionem, quodque non solum rhetorico quodam colore satiras imbuit, sed etiam, ubicunque fieri potuit, doctas dispersit notationes, quibus historiam, literas, poeticen breviter et obscurius interdum tangens, permagnas haud raro praebet difficultates. In multis praeterea locis enarrandis accuratiore quadam opus est antiqui iuris cognitione, qua destituti omnes aeque superiores interpretes quam foede lapsi sint, dici vix potest; demonstrandum erit, ne iniquius tulisse videar iudicium, pluribus infra exemplis. Libentius iam excusaveris doctos viros saepenumero errantes, ubi obscenae lubricaeque res, quibus redundat poeta, valde ingratum reddunt interpretis officium, ut quam celerrime eo supersedere cupiamus, et sunt profecto, quorum animos ab accuratiore Iuvenalis tractatione talia avertant. Nihilo secius illa quoque pudore, ut ita dicam, aliquamdiu remoto cum ceteris expedienda et ad liquidum perducenda sunt.

Quod quum ita sit, facile intellegitur, qui fiat, ut nec in arte critica, nec in interpretatione ne paululum quidem satisfecerint editores. Etenim, si quaerimus de criticae artis subsidiis, permagnum invenimus librorum manuscriptorum numerum, in quibus neque desunt antiquiores quidam, imprimis inter Achaintrii illos, qui uti iis nescibat; sed quum, partim neglegenter videantnr collati, partim auctoritas eorum temere spreta sit, magnus adhuc hac quoque in re exercendae diligentiae patet campus.

Contigit mihi ex universitatis literariae Lipsiensis bibliotheca nonnullorum librorum collationem a C. Beiero, professore olim Lipsiensi, exemplari Iuvenalis Rupertiani ascriptam nancisci. Ex his libris, quorum variae lectiones Rupertio iam erant promissae, non prorsus spernendi mihi videbantur duo codd. Zwiccavienses, quorum alter, qui olim fuit Pulmanni, iam non exstat in ea bibliotheca, ut narrat Hertel „de codd. biblioth. Zwiccav.“ Zwiccav. 1825, alter chartaceus, infimae quidem aetatis, tamen lectionum bonitate interdum insignis, e bono fluxisse videtur libro (cf. Hertel p. 8.). Et antiquior et melior est cod. membr. Noviomagensis, seculi, iudice Hertelio, XII. aut XIII. Praeterea ms. quoque Miggrodii nonnulla fides videtur: Ceteri omnes aut minimi aut nullius prorsus pretii sunt, duo Hamburgenses Chemnicenses et pessimus Dresdensis. Non nominavi duos libros a Beiero et a Fr. Passovio comparatos, cod. Vinariensem s. Schurzfleischianum et cod. Gothanum, quum illorum variae lectiones a Rupertio sint enotatae (cf. ind. codd. No. 11. et No. 24.). Iam, quoad antiquissimi, qui exstant, nondum accuratius comparati sunt codices, neque recentioribus hisce prorsus possumus carere, quapropter ubi de scriptura aliqua dubitandum erat, illis quoque libris, quantam debui, tribui auctoritatem.

Iuvenalis editores quid praestiterint, in universum supra iam attigi, neque verba faciam de prioribus illis Henninii, Rupertii, Achaintrii editionibus, quae licet habeant sua merita, nostris temporibus non possunt satisfacere. Sed, quae nuper in lucem prodiit Heinrichii editio, miro sane fato usa, quum omnes permagnum inde emolumentum exstiturum crederent poetae, cui per totam fere vitam vir doctissimus operam impendisset, quantopere hominum spem fefellerit, dici vix potest. Restant enim tot inepta, tot etiam novi veteribus quasi accumulati sunt errores, ut illa, quibus maiorem attulerit lucem, nullo fere sint numero, et acerba quidem, sed non iniqua appareant

iudicia, quae protulerunt de hac editione G. E. Weber [1]) et Iahn [2]). Mihi quidem persuasum est, multo meliora praestiturum fuisse Heinrichium, si novam, quam curabat, editionem ipse potuisset conficere; sed quum praematura operi suo abreptus sit morte, magna certe ex parte culpa eorum est, qui scripta eius emiserunt. Aliter enim non potest excusari, quod qui longe omnium praestantissime scripserit de satirarum illarum explicatione in hoc libro prorsus sit neglectus, dico Madvigium, cuius egregia de Iuvenale merita iam perspexisse debebat Heinrichius. In duabus enim illis de locis aliquot interpretandis disputationibus, quarum altera in lucem prodiit a. 1830, in programmate universitatis Hauniensis iterumque in opusculis academicis 1836, altera a. 1837, sive disputat de linguae usu deque arte grammatica, sive ipsas exponit res, antiquitates, historias, vix unum inveneris locum, quo non libenter eius subscribas sententiae. Quae quum ita se habeant, non doleo, ut fieri solet, si quis nostra ante nos dixit, quod, quum complures iam tractassem versus, priusquam Madvigii alteram illam de Iuvenale acciperem dissertationem, in nonnullis locis eadem prorsus, quae ego quoque inveneram, virum doctum iudicasse cognovi; quin summo gaudio me affecit tanti viri auctoritas meas opiniones comprobans, quamquam libenter confiteor omnes illas, de quibus consensimus, emendationes tam simplices esse inventuque faciles, ut mirum prorsus sit, quod non iam dudum ab interpretibus verum est intellectum. Exempli gratia unum tantummodo exhibeo locum sat. XI. v. 111. sqq., ubi, postquam de bonis veteris rei publicae temporibus dictum est, verba hucusque ita legebantur, ut necessario omnes aeque cruciaverint interpretes:

Templorum quoque maiestas praesentior et vox
Nocte fere media mediamque audita per urbem,

1) Zimmerm. Zeitschrift f. Alterth.
2) Hallesche Literaturzeit. 1842. No. 25 — 29.

Litore ab Oceani Gallis venientibus et dis
Officium vatis peragentibus, his monuit nos.
Hanc rebus Latiis curam praestare solebat
Fictilis et nullo violatus Iuppiter auro.

Emendarunt viri docti illud „his“ v. 114., quod sic ferri nequit: in „hic“, „hos“, „hinc“ etc., quum simplicissimum sit, mutata tantum interpunctione, verba ita coniungere.

Templorum quoque maiestas praesentior et vox
Nocte fere media mediamque audita (sc. est) per Urbem,
Litore ab Oceani Gallis venientibus et dis
Officium vatis peragentibus. His monuit nos, (sc. hac voce aliisque curis)
Hanc rebus Latiis curam praestare solebat
Fictilis et nullo violatus Iuppiter auro.

Iam igitur ad nonnullos versus, quorum aut in interpretatione aut in scriptura a superioribus discedendum videbatur, explicandos accedam eosque secundum vulgatum satirarum ordinem sum tractaturus.

SATIRA I.

Prima statim, de quibus dicam, verba, licet per se sint simplicissima, scientiam quandam postulant iuris Romani, eamque ipsam ob causam mirum in modum ab enarratoribus sunt perturbata, quum alii nullam, alii nimiam fere adhibuerint doctrinam. Sunt versus illi sat. I. v. 51. sqq., ubi, cur ad hoc potissimum satirici carminis genus inclinaverit, facete et iocose exponit poeta:

Haec ego non credam Venusina digna lucerna?
Haec ego non agitem? Sed quid magis Heracleas
Aut Diomedeas aut mugitum Labyrinthi
Et mare percussum puero fabrumque volantem,
Quum leno accipiat moechi bona, si capiendi
Ius nullum uxori, doctus spectare lacunar,
Doctus et ad calicem vigilanti stertere naso.

Singulorum verborum explicare significationem non opus erit, quum bene omnino Heinrichius iam functus sit hoc negotio; videamus igitur protinus de totius loci sententia. Exstant autem duae maxime opiniones, quarum alteram eamque antiquiorem Rupertius tuetur in priore editione, sequitur Achaintrius, alteram Heinrichius protulit consentiente postea Rupertio in secunda editione. Sed neuter rectum vidit. Quod saepissime factum est in Iuvenale, ut ex scholiis, quae nobis servata sunt, tamquam uberrimo ex fonte innumeri promanarent errores, id hoc quoque loco accidit[1]). Explicata enim sunt verba „si „capiendi ius nullum uxori“ a scholiasta, nescio quo, hac ratione: „si uxor eius iure impediatur adulteri succedere, „ipse maritus leno succedit adultero heres, ut per fidei „commissum res adulteri ad adulteram veniant.“ Neque tam mirum profecto, quod priorum temporum viri docti

1. Tamen non omnia illa scholia sunt spernenda, quum habeamus inter molem ineptiarum perantiqua etiam glossemata, quorum auctoritatem magis, quam par erat, neglectam esse infra videbimus.

omnes in hac interpretatione acquieverunt, quam quod recentiores etiam ICti in laqueos illos inciderunt, quippe a quibus iure postulare queamus, ut sciant, feminas, quae non habuerint ius per hereditatem succedendi, etiam legata capere vetitas fuisse; aperte enim Gaius II. §. 286.: „Caelibes quoque," inquit, „qui per legem Iuliam here„ditates legataque capere prohibentur, olim fidei commissa „videbantur capere posse. Item orbi, qui per legem Pa„piam ob id, quod liberos non habent, dimidias partes he„reditatum legatorumque perdunt, olim fidei commissa vide„bantur capere posse. Sed postea senatus consulto Pe„gasiano perinde fidei comissa quoque ac legata heredi„tatesque capere posse prohibiti sunt." Illud autem Pegasianum senatus consultum factum est Vespasiani [1]) Imperatoris temporibus, qui decessit anno 832 (p. Chr. n. 79.); hanc vero satiram scriptam esse post annum 853 (100 p. Chr.) quum ex aliis constat, tum e versu 49:

Exul ab octava Marius bibit et fruitur, dis
Iratis, at tu victrix provincia ploras.

Eo enim anno repetundarum accusatus Marius Priscus, urbe atque Italia relegatus est (Plin. epp. II. 11, 12. VI. 29.); in quibns consentiunt Heinrichius, Franckius („examen criticum Iuv. vit." p. 87. sqq.,) repugnat unus Weber, qui in adnotationibus versioni Iuvenalis subiectis perperam alios versus aliis posteriores et alio tempore ab ipso poeta denuo opera sua recensente addita esse statuit. Itaque, quum post senatus consultum Pegasianum [2]) scripta sit haec satira, luce clarius patet, scholiastae eorumque, qui pro eo faciant, opinionem esse reiciendam. Inspiciamus nunc accuratius paulo causam, quam addiderunt Rupertius et Achaintrius, cur iure impediatur uxor, hereditatem capere, de qua in scholio illo nihil est. „Pro„brosam esse mulierem," aiunt, „quibus nempe Domitia-

---

1. Cf. Inst. Iust. lib. II. tit. 23. §. 5.
2. Cuius per multa deinceps secula auctoritas valuit.

„nus (cf. Suet. Dom. 8.) lecticae usum et ius legata hereditatesque capiendi ademerit.“ Quae quantopere sint falsa, quum ex superioribus patet, tum ex iis, quae Heinrichius scripsit, cuius disputationi de hac quidem re verbum non addo: Sed doleo, quod Rupertius, quum erroris minime tenax suam reiecisset explicationem, nimis iam credulo animo in Heinrichii omnino iuravit verba, quem et ipsum longissime aberrare a vero, non est difficile intellectu. Ratiocinatur enim hunc fere in modum: bona capere significari heredem ex asse fieri; heredes autem ex asse fieri lege Voconia mulieres vetari; postea demum lege Papia Poppaea hereditates adire concessum esse iis feminis, quibus esset ius trium liberorum, quum vir etiam solitarius heres potuerit institui, i. e. uno procreato filio filiave; iam mulierem illam non habuisse ius trium liberorum, maritum ne solitarium quidem fuisse, ideoque, quum nec uxori concessum fuerit, bona capere, neque ipsi, permisisse virum, ut adulter ex uxore filium procrearet, quo facto in universam adulteri hereditatem posset succedere. Qua cum argumentatione videntur quidem consentire alii, quos laudavit Heinrichius, Iuvenalis versus sat. IX. 82. et sqq.

> Nullum ergo meritum est, ingrate ac perfide, nullum,
> Quod tibi filiolus vel filia nascitur ex me?
> Tollis enim et libris actorum spargere gaudes
> Argumenta viri. Foribus suspende coronas,
> Iam pater es: dedimus, quod famae opponere possis;
> Iura parentis habes, propter me scriberis heres,
> Legatum omne capis, nec non et dulce caducum.
> Commoda praeterea iungentur multa caducis,
> Si numerum, si tres implevero.

Sed non consentiunt, quum eam praebeant sententiam, quam inferre voluit Heinrichius, non eam, quae vere intellegenda est hoc loco.

Legem Voconiam omnino adhibere non debebat Heinrichius, namque, si ipse inspexisset, quam laudat, Savinii de lege Voconia dissertationem (ed. in annal. acad. liter.

Berolin. a. 1820 — 21 ord. hist. phil. p. 219.) haud dubie vidisset, minime hac lege ea fuisse sancita, quae putabat, sed id solum, ne, qui „centum milia aeris census „sit, mulierem heredem institueret (Gaius II. §. 274.), plusve „cuiquam legaret, quam ad heredes perveniret, itemque ne „feminae cuiquam ab intestato succederent." Ceterum, ut summo acumine docuit Savinius, latis Papia Poppaea et Falcidia legibus, Voconia paulatim evanuit. Quis vero, nisi qui argutias captare studeat, ex simplicissimis his verbis, illam, quam Heinrichius voluit, extricare potest sententiam? Quid enim? nonne ipsi, quos pro se facere putat sat. IX. versus, egregie demonstrant, longe aliter dicturum fuisse poetam magisque perspicue, si de illo adulteri egisset consilio? nonne v. 56. pro „si capiendi ius „nullum uxori" dicendum fuisset „si capiendi ius nul„lum ipsi?" Id maxime tenendum est, quod ex ipsis verbis intellegitur, si uxor moechi bona capere posset, maritum non factum iri heredem. Adulter igitur, quum mulieri magis quam marito studeat gratificari, amicae autem neque universam rem familiarem, neque partem possit legare, quia caret iure trium liberorum, aliter efficere non potest, ut illa emolumentum ex hereditate capiat, quam scripto eius marito, qui et ipse tali modo indulgentiae fructum percipit, quod doctus erat spectare lacunar et ad calicem vigilanti stertere naso [1]).

De versibus, qui sequuntur, singularem conscribere possem libellum, si in animo esset, omnes refutare errores ab interpretibus editoribusque in paucis his verbis commissos et quasi accumulatos; cuius operae nunc video compendium me facere posse post Madvigii egregiam dis-

---

1. Ridiculum fere est, quod ad hanc vocem addidit Heinrichius, „die nase wird als sitz der feinen beobachtung angesehen;" tamquam non ideo tantum commemoratus sit nasus, quia naso stertimus.

putationem, quae legitur in opusc. acad. p. 33.; quapropter, explicata totius loci sententia, ea tantum exponam, in quibus a Madvigio, quamquam minutae sunt res, et a novissimo enarratore Heinrichio discedendum mihi videtur. Adnectit poeta superiori illi nequitiae („Quum leno accipiat moechi bona") novum foeditatis exemplum, quo ad satiras scribendas impellatur:

Quum fas esse putet curam spectare cohortis,
Qui bona donavit praesepibus, et caret omni
Maiorum censu, dum pervolat axe citato
Flaminiam puer Automedon: nam lora tenebat
Ipse, lacernatae quum se iactaret amicae.
Nonne libet medio ceras implere capaces
Quadrivio, quum iam sexta cervice feratur, etc. etc.

Ita, reiecta tandem veterum errorum ineptiarumque mole, singulae distinguendae sunt orationis partes, si sententiam eruere volumus unice aptam poetae verbis. Dicit enim Iuvenalis de nebulone quodam sui temporis, qui audeat satis honestum in exercitu gradum [1]) poscere atque sperare, quum omnem rem familiarem a maioribus acceptam in equis emendis alendisque dissipaverit; qui dignitate sua haud alienum putet, citato curru Flaminiam pervolare, suaque manu tamquam alter Automedon, Achillis auriga, equos regere (quapropter dictum est: „nam lora tenebat Ipse" [2]), qui denique, ut ignominiae cumulus accedat, amicam quandam lacernatam in curru iuxta se habeat, cui se iactet atque ostentet ipsa hac aurigandi arte.

---

1) Praefecturam cohortis sociorum intellegi a poeta, eximia doctrina demonstravit Madvigius (opusc. acad. p. 37.), neque enim cohortem praetoriam, quam alii intellegendam arbitrati sunt, posse simplici hac curae cohortis appellatione significari, neque tribunatum militarem, ut alii voluerunt, notari, quum omnino valde incertum sit, utrum Iuvenalis temporibus tribuni habuerint singularum cohortium regendarum munus.

2) Vix dici potest, quam perverse tota sententia perturbata atque vexata sit a superioribus interpretibus falsam retinentibus interpunctionem „nam lora tenebat, Ipse lacernatae quum se iactaret amicae."

Hactenus pulcerrime omnia et exposuit et comprobavit Madvigius, in reliquis minuta, ut iam dixi, quaedam sunt, in quibus mea quidem sententia paulo aliter statuendam est. Dicit enim particulam „quum“ v. 55. („quum leno „accipiat“ etc.) et v. 58. („quum fas esse putat“) non habere, quo referatur; namque ad illa „Sed quid magis He„racleas etc.“ v. 52. referri non posse, quum ea per se dicantur et cum interrogatione illa „Haec ego non agi„tem?“ coniuncta sint, itaque totius loci distinctionem sic esse mutandam:

Hanc ego non credam Venusina digna lucerna?
Haec ego non agitem? sed quid magis Heracleas,
Aut Diomedeas, aut mugitum Labyrinthi
Et mare percussum puero fabrumque volantem? —
Quum leno accipiat moechi bona, si capiendi
Ius nullum uxori, doctus spectare lacunar,
Doctus et ad calicem vigilanti stertere naso;
Quum fas esse putet curam spectare cohortis,
Qui bona donavit praesepibus, et caret omni
Maiorum censu, dum pervolat axe citato
Flaminiam puer Automedon: nam lora tenebat
Ipse, lacernatae quum se iactaret amicae,
Nonne libet medio ceras implere capaces
Quadrivio? quum iam sexta cervice feratur
etc. etc.

ita, ut utraque particula „quum“ v. 55. et 58. pertineant ad versum 63. „Nonne libet ceras implere capaces.“ Quam nexus mutationem equidem neque necessariam, neque, si accuratius animum advertas, rectam iudico. Pendet autem illud „quum“ ex interrogatione, „Haec ego non agi„tem?“ et optime cohaerent sententiae: cur ego non satiras componam, cur epica magis poesi describam Herculem, Diomedem etc., quum videam lenonem moechi bona accipientem etc. Contra, si ad sequentia referimus particulam „quum“ v. 55. et 58., ea oritur difficultas, quod post v. 63. „Nonne libet etc.“ aliud quoque „quum“ sequitur eodem referendum, quo et obscura et inconcinna redditur oratio. Superest, ut dicam de lacernata amica.

Lacernam virorum tantum vestem fuisse probabile est, quum in tanto exemplorum, quae exstant, numero, nullum inveniatur, ubi mulieres iis amictae sint; superinduebatur autem togae pulveris, pluviae, frigoris arcendi causa [1]), ideoque in itineribus maxime et expeditionibus bellicis eam adhibitam esse apparet [2]). Quae quum ita se habeant, quid simplicius, quid rei aptius, quam blandum mollemque amatorem amicae, ne pulvere inquinaretur, vento afflaretur, pluvia madefieret, suam iniecisse lacernam; quapropter iure nunc exagitatur a poeta, quod aspiret ad praefecturae cohortis honorem, quem non pudeat publice meretrici sese iactare hac arte a bonis veterum moribus tantopere abhorrente, quem non pudeat, meretricem ridiculo hoc modo cura sua amplecti. Non habeo, quae Madvigii ingeniosae opponam opinioni, „mulieris non pudi„cissimae imaginem describi veriles vestes imitantis," nisi quod non bene intellegitur, cur amica illa viri speciem prae se ferat, praesertim quum omnia hoc loco in aurigae illius infamiam dicta esse videantur.

Quae omnia, quum sint plana atque aperta in Heinrichii interpretatione plerasque veterum ineptiarum refricatas, quin novos superadditos videmus errores. Revocat enim, servata antiqua distinctione,

nam lora tenebat,
Ipse lacernatae quum se iactaret amicae.

Neronis personam, quae pronomine significetur „ipsi" et cogitandum esse censet de publicis imperatoris excursionibus, in quibus masculam amicam iuxta se habuerit aurigaeque officium praestiterit nobilis quidam Romanus. Quae omnia egregie Madvigius refutavit opusc. acad. p. 34. Iam vero quid significaret „se iactaret", ita pergit Heinrichius, neminem ante se intellexisse. Totius enim loci explanationem quaerendam esse in Livii quadam nar-

---

1) Cf. Iuv. IX. 29. „munimenta togae."
2) Cf. Cic. Phil. II. 30. Vellej. II. 70, 80.

ratiuncula, (XXXIX. 42, 43.) ad quam respiciat poeta, ubi post alia haec verba leguntur c. 43. „Placentiae famosam mulierem, cuius amore deperiret (L. Quinctius), „in convivium arcessitam; ibi iactantem sese scorto, inter „cetera retulisse, quam acriter quaestiones exercuisset et „quam multos capitis damnatos in vinculis haberet, quos „securi percussurus esset. Tum illam infra eum adcubantem negasse, umquam vidisse quemquam securi ferientem „et pervelle id videre. Hic indulgentem amatorem unum „ex illis miseris, adtrahi iussum, securi percussisse.“ Hanc narrationem secundum Heinrichii sententiam ante oculos habuit Iuvenalis et maxime quidem verba „iactantem sese „scorto,“ quum Neronem depingere voluerit. Paucis enim his vocibus lineamentisque illico crudelissimum et libidinosissimum tyrannum in memoriam revocari, qui amicam illam, sermonibus carnifice magis quam imperatore dignis delectare studeat. — Maximopere me hoc loco miratum esse confiteor, quo duci possit ceteroqui non hebetis ingenii vir, nimium doctrinae suae indulgens, ita ut in simplicissimis quibusque verbis poetam tecte et oblique aliquid tetigisse putet, quod ex aliis tantum scriptoribus cognosci atque explicari possit. Similitudo autem inter Livii narratiunculam et Iuvenalis hos versus alia est nulla, quam quod in utrisque verbum invenitur „se iactare“; omnes, quae praeterea insunt dissimilitudines, praeiudicatam tenens opinionem neglexit Heinrichius.

Venimus iam ad alios huius satirae versus (105 et sqq.), in quibus, licet per se non adeo difficilibus, propter incredibilem interpretum neglegentiam atque socordiam, non simplex notandus est error. Libertinus quidam, quum, ut posceret sportulam, prius ad dispensatorem venisset, quam praetor et tribunus, nescio quis, („nam vexant et illi divitum limina“) et tamen illis post poneretur, ius suum persecuturus:

Prior, inquit, ego adsum:
Cur timeam, dubitemve locum defendere, quamvis
Natus ad Euphraten, molles quod in aure fenestrae
Arguerint, licet ipse negem: sed quinque tabernae
Quadringenta parant. Quid confert purpura maior
Optandum, si Laurenti custodit in agro
Conductas Corvinus oves? ego possideo plus
Pallante et Licinis. Exspectent ergo Tribuni et q. s.

Iam de verbis „quinque tabernae" Heinrichius ceteros editores secutus, mira cum incuria talia fere protulit: fuisse quinque illas tabernas in foro antea septem dictas, ad quam rem probandam laudat Liv. XXVI. 27, XXVII. 11. — Fuisse argentarias, non ab uno conductas (ut dicat Rupertius), sed multos ibi fenus exercuisse. Sed ex Livii loco, quem exhibet Heinrichius, luce clarius apparet alias prorsus illas septem, postea quinque dictas, alias argentarias fuisse tabernas, quae, quum incendio essent consumtae, postea restitutae novae nominabantur. Ita aperte Livius utrasque distinxit, ut redarguat magis quam comprobet Heinrichii sententiam. Neque accuratius, quam hunc Livii locum, Rupertii inspexit adnotationem, quem nusquam vidi dicentem, has tabernas ab uno esse conductas, sed contrarium prorsus, a libertino esse locatas. Quod autem ad Rupertii sententiam attinet, quae eadem fere est atque Heinrichii, ne haec quidem stare potest, quum publicae fuerint illae tabernae et a magistratu quodam locatae sint. Videmus igitur errasse interpretes, quum in simile quoddam quinque tabernarum nomen incidissent, iam rectum se tenere arbitratos, quod inferri possit verbis, quibus vere nihil inest, quam libertinum quinque habuisse tabernas in Urbe, quo loco neque scio, neque refert scire, quas aut aliis locaverat, aut in quibus ipse, quod magis etiam est veri simile, per tabernarios negotia curabat. Iam quod narrat, quinque tabernas quadringenta HS. parare, omnes fere interpretes de annuo reditu dictum putarunt, et ad aliam explicationem non bene profecto quadrabit illud „parant". Sed gratulor libertino

quotannis, ut breviter dicam, circiter XX. milia thalerum aureorum nostrae pecuniae sibi comparanti. Quapropter, quum nimia paululum haec summa sit, credat fortasse aliquis, recipiendam esse nonnullorum librorum [1]) lectionem „quadraginta", neque id cum Achaintrio reici potest, quia de censu equestri hoc loco debeat cogitari, quae dubitatio tota per se iam cadit, si, quod multi exhibent codices [2]), „maius" pro „magis" recipimus quodque necessario sequi debet scripturam „quadraginta", ne metro quidem, ut credi posset, adversante: quum enim optimae aetatis poetae semper producant syllabam „a" in fine illorum numeralium, posteriore tempore scriptores variant in hoc usu modo corripientes, modo producentes ultimam. De Iuvenale certum nihil potest constitui, quum unus tantum exstet versus, e quo syllabae illius natura cognoscitur (sat. XII. v. 74.), ubi sane productum est „triginta". Sed quum Martialis, qui eodem fuit tempore, interdum corripiat, interdum producat [3]), nulla est causa, cur non idem Iuvenalem admisisse putemus. Sed alia huic lectioni obstat res, quod in contrariam prorsus incidimus difficultatem. Qui enim conveniunt duo milia thalerum nostrae pecuniae homini, qui plus possideat Pallante et Licinis? Quam ob causam vulgatam lectionem recte sese habere persuasum mihi est, quam si de annuo reditu explicamus, intellegendum est, poetam de industria rem in maius extollere, itaque censum equestrem commemorare, quamvis nemo facile unoquoque anno eum sibi comparaverit.

---

1) E. Rup. libris N. 16. 19., quidam e Achaintr., e meis alter Zwicc. alter Hamb. et Dresd.

2) E. Rup. N. 7. 11. 15. 21. sec. 25. 26. 27. 29. multaeque vett. edd. XXVII. e Ach. libr. e meis duo Zwicc.

3) Sic Mart. VII. 9.

Quum sexaginta numeret Cascelius annos —

id. XII. 26. Sexaginta teras quum limina mane senator —

Iuvenalis eandem varietatem in aliis admisit vocibus, sic

III. 280. Ergo non aliter poterit dormire — et

I. 15. Et nos ergo manum ferulae subduximus.

Postremo inepta Heinrichii explicatio vocis „possideo" vituperanda est, quam dictam esse putat, ut „parant", pro „mox possidebo."

Iam postquam satiras scribendi propositum exposuit, obloquentem sibi fingit aliquem: iam perisse libertatem illam maiorum, ut, quidquid vellent, flagrante animo scribere liceret. Olim enim nihil interfuisse, utrum Mucius, quem Lucilius satiris persecutus erat, dictis ignosceret, an non. Deinde ita pergit oblocutor:

Pone Tigellinum; taeda lucebis in illa,
Qua stantes ardent, qui fixo gutture fumant
Et latum media sulcum deducit arena —

Dedi omnium fere librorum auctoritatem secutus tertiam personam „deducit" (e meis „deducit" Noviom. Pulm. Chemn. Dresd. ceteri „diducit"); in editionibus contra plerumque „deducis" vel „diducis" legitur, praesenti tempore „deducis" cum futuro „lucebis" intolerabili ratione coniuncto. Iam post Madvigii egregiam dissertationem alteram (p. 10.) priorum coniecturarum et errorum commemoratione supersedere possum; is enim unice veram scripturam sic explicat: lucebis in illa taeda, qua ardent qui fixo gutture fumant (de supplicio tunicae molestae) et quae (taeda) sulcum deducit per mediam arenam, quum plures homines, alter iuxta alterum defossi, ardeant una serie, ita ut ex relativo „qua" semel posito ad aliam enunciationis partem alio casu idem relativum subaudiatur, cuius loquendi generis multa exempla congessit Madvigius. Sed propero ad sequentia. Respondet Iuvenalis oblocutori:

Qui dedit ergo tribus patruis aconita, vehatur
Pensilibus plumis atque illinc despiciat nos?
Quum veniet contra, digito compesce labellum,
Accusator erit, qui verbum dixerit „hic est".

Videbimus rationes, quibus sucundum leges gram-

maticas explicare possumus ultimum hunc versum, esse duas, quarum neutram quidem invenit Rupertius, qui miro prorsus vanoque errore in priore editione deceptus, ita fere illorum versuum sententiam enarrat: „quum obviam „tibi veniet Tigellinus tace, alioquin ille mox accusator „erit, qui imperatori dicet „„hic est ille improbus, qui „„famam tuam laedet tibique maledicet.““ At non opus erit verba facere de explicatione, quam ipse Rupertius in altera editione mutaverit cum alia Heineckii (animadv. in Iuv. sat. Halae. 1804.) et Heinrichii, ad artem grammaticam recte quidem sic interpretantium, ut ante „qui „verbum dixerit“ subaudiendum sit „eius“. Non nego, talem pronominis ellipsin aliis quoque comprobari posse exemplis, quamvis non omnia, quae viri docti attulerunt, huc pertineant; tamen nemo, ne veterum quidem Romanorum, qui perlegeret illos versus, talem orationis nexum statim extricare potuit, haud dubie ita coniungens verba: „accusator erit is, qui verbum dixerit „hic est.““ Defendenda igitur erit haec verborum cohaerentia, et potest sane optime defendi ex totius loci sententia. Obicitur enim poetae, periculosum esse, flagrante animo satiras componere, nam si Tigellini flagitia perstrinxeris, saevissimis te afficiet suppliciis; quin ne digito quidem parvulove verbo obviam tibi veniens significandus est, nam, qui modo illud dixerit „hic est“, iam publicus quasi eius erit accusator, mox poenas soluturus. Nonne igitur multo magis peccaverit is, qui satiras in eum composuerit?

SATIRA II.

Increpat poeta initio alterius satirae philosophorum maximeque Stoicorum pravitatem virtutis quidem speciem prae se ferentium, revera autem turpissima quaeque sibi indulgentium. In quos, postquam gravissima ira invectus

est, iam esse, pergit, quomodo facinora eorum levia putare possis, quum vel summos rei publicae viros non pudeat in publicis actionibus similem ostendere vesaniam; itaque dicit v. 65. et sqq.

— — — Sed quid
Non facient alii, quum tu multicia sumas,
Cretice, et hanc vestem populo mirante perores
In Proculas et Pollitas? Est moecha Fabulla; [1])
Damnetur, si vis, etiam Carfinia: talem
Non sumet damnata togam. Sed Iulius ardet,
Aestuo. Nudus agas, minus est insania turpis.
En habitum, quo te leges ac iura ferentem
Volneribus crudis populus modo victor et illud
Montanum positis audiret volgus aratris!

De quibus non erit opus, ut refutem Rupertium inter hanc et illam fluctuantem interpretationem, deinde ex simplicissimis verbis id extorquentem, non dicere poetam v. 73, 74. de prisco illo Romano, (ad quem tamen satis aperte pronomen „illud" nos vocat) sed ita voluisse intellegi, Creticum tam ridicule esse vestitum, ut si eo habitu leges ac iura ferret, „vel populus, qui modo, vix, „rediit victor, volneribus nondum sanatis, et montanum „volgus, relicto opere rustico, cupiditate adcurreret eum „videndi audiendique." Non erit opus, ut redarguam Heineckium nimium quantum argutantem, quum putet Creticum ipsum interrogare „minus est insania turpis?" et pergere tum eundem mollem effeminatumque hominem: „En habitum, quo te leges ac iura ferentem etc." Non opus erit, inquam, tempus in his consumere, recte fere omnibus ab Heinrichio explicatis. Sed, quum et ipse in alia re errores cumulet erroribus, subsistamus paululum hoc loco. Etenim omnibus fere codicibus confirmatam

1) Corrupti huius nominis „Pollitas" non habeo emendationem. Libri exhibent Pollutas, Pollucis, Pollucas, Polluicas, Polliucas (unus Rup. XI. codd. Achaintr. (e meis duo Hamburg.) etc· etc.; fortasse rectum est, quod Heinr. proposuit, „Pollidias".

scripturam „insania“ v. 71. reiciendam ratus, cum Grangaeo legendum censet „infamia“, quod duo tantum exhibent Rupertii libri (24. Goth. 26. Hamb.) quidam codd. Paris. et ex meis praeter illum Goth. pessimus Dresd.) Negat autem insaniam turpem nominari posse, secundum veterum praecipue cogitandi rationem, quibus insania tantum *κακοδαιμονία* et *δυστυχία* quaedam sit, quod vereor, ne ridiculum magis quam verum appareat; nimirum, si animi tantum morbum significaret insania, eam turpem dicere haesitarem. Sed videamus locos, ubi idem fere est insania, quod insipientia, dementia, stultitia. Val. Flacc. II. 525. „vanique insania coepti“. Mart. VIII. 48. „foedi „insania lucri,“ quae sane turpis est, et de „vestium in„sania“, quam turpem dicere nemo dubitabit. Plin. h. n. XIX. 1. 5. etc. etc. Neque difficilius altera Heinrichii causa refellitur, quod toto hoc loco de infamia tantum dici putat, „non sumet haec damnata togam,“ „Foe„dius hoc aliquid quandoque audebis amictu“ v. 82. Quae omnia non impediunt, quominus „insania“ legatur, quum illa vox non solum contineat infamiae notionem, verum etiam intendat. Quod autem Heinrichius poetam hoc loco ad Cic. Phil. II. 86. respexisse opinatur, ubi Antonius impugnatur his verbis: „o praeclaram illam eloquen„tiam tuam, quum es nudus concionatus; quid hoc tur„pius? quid foedius? quid suppliciis omnibus dignius?“ hanc explicationem addens: „wird dir's zu heiss in der „toga, so mach's wie einst Antonius, dein sauberes vor„bild etc.,“ iterum accidit, quod saepissime viro docto, ut quaerat tectas quasdum obliquasque notationes, de quibus nihil praeiudicati adferentes ne cogitare quidem possumus.

SATIRA III.

Acedamus nunc ad alius carminis versus, in quorum enarratione magis etiam a recto omnes aeque aberrarunt viri docti. Iuvenalis in tertia satira vitam Romae molestam periculosamque depingens querelas suas sub Umbricii, amici cuiusdam persona, profert, quem fingit Cumas emigrantem et sic loquentem fecit v. 29.

> Cedamus patria, vivant Artorius istic
> Et Catulus; maneant, qui nigrum in candida vertunt,
> Quis facile est, aedem conducere, flumina, portus,
> Siccandam eluviem, portandum ad busta cadaver
> Et praebere caput domina venale sub hasta.

Quem ultimum versum nusquam recte vidi intellectum, quamvis eius sententia ex totius loci nexu facile perspici posse mihi videatur. Dicit Umbricius: Cedamus patria, quia honestis artibus nullus in Urbe locus; maneant ibi, qui malis artibus lucrum et emolumentum petunt, ut faciunt Artorius et Catulus [1]). Sed de reliqua priusquam dicam sententia, singulorum verborum significationem accuratius paulo perquiramus oportet.

„Aedem conducere“ est templum vel domum aedificandam aut reficiendam conducere. Omnibus enim satis notum est, aedificia et publica et privata exstruenda, renovanda, purganda Romae locata esse hominibus, qui quaestum eo petebant. Malim vero de templo hoc loco aedem intellegere, quum et de pluribus dicatur negotiis, quae publice redemptoribus tradebantur, et illi significationi aptior sit singularis forma. Etenim Iuvenalis, ut

---

1) Quos nec ego quidem aliunde novi, nec vetus interpres noverit, qui explicationem suam haud dubie ex hoc ipso Iuvenalis versu hausit, sed recte fere suspicatus est, „fuisse homines ignobiles et „sordidos malis artibus viventes, qui ex sordidis rebus divites sint „facti.“

plerique scriptores, accuratius „aedem“ et „aedes“ discernit, quod perspicue apparet ex sat. VII. v. 37. et 40. „flumina, portus, siccandam eluviem.“ Dubium esse potest, quid sit flumina et portus conducere, sed, si ad priora respicimus „aedem conducere“, etiam hoc de exstruendis purgandisque portibus atque fluminibus, quorum crepidines caementis lateribusve struebantur, dictum putare debemus. Nolim autem, ut faciunt nonnulli, de piscatione in illis exercenda explicare, et multo etiam minus de vectigali in pontibus fluminumque ripis pro transitu, et de portorio pro evehendis invehendisque mercibus solvendo, quum iam propter praecedentia ferri nequeat, ut idem verbum „conducere“ ad varias pertineat actiones. — „portandam ad busta cadaver.“ In Libitinae aede, quae ad pompas funebres opus erant, asservabantur, publiceque libitinariis, qui sepelienda cadavera redemerant eoque negotio quaestum sibi parabant, locabantur [1]).

Omnibus igitur hisce versibus de negotiis dicitur, publice a magistratu quodam Romano redemptoribus locatis. Iam vero sequitur versus, quem non recte a prioribus interpretibus explicatum esse dixi. In vocibus „praebere caput“ intellegendum erit suum caput, nam alieno capiti non convenit verbum „praebere“, quod si significare voluisset poeta, „ducere“ potius vel „vocare sub hasta“ vel simile quid dixisset. Caput autem complexus est omnium bonorum iurumque, quae habet civis Romanus, libertatis, civitatis, rei familiaris etc. etc. cf. Cic. Off. I. 12, 38. „certamen capitis“ Tac. Ann. II. 30. „quaestio in caput domini.“ Plaut. Asin. I. 2, 5. „capitis te perdam,“ Hor. epp. I. 1, 43. „animi capitisque labor.“ Ex eadem significatione formula explicanda est „capitis deminutio,“ cf. Paul. Dig. IV. 5. §. 11. Inst. Iust. I. 16, ubi aperte dicitur: „servus autem capite non minuitur,

---

1) Cf. Plut. quaest Rom. 23. Liv. XL. 19, XL. 21. Suet. Nero 39. Val. Max. V. 2, 10. Kirchmann de fun. Rom. I. 9.

„quia nullum caput habet" (quum nec libertatem habeat, nec civitatem, nec rem familiarem, nec familiam). Ideoque causa capitis sive capitalis causa dicitur, in qua de illis bonis, de vita, exilio i. e. aquae et ignis interdictione agebatur cf. Paul. Dig. 48. 1. §. 2. „capitalia sunt, ex qui„bus poena mors aut exilium est, hoc est aquae et ignis „interdictio; per has enim poenas eximitur caput de ci„vitate." Cic. Verr. II. 2, 40. d. Orat. I. 40. Inv. II. 31. „Lacedaemoniis lex erat, ut hostias nisi ad sacrificium „quoddam redemptor praebuisset, capitale esset." Cic. ad Att. X. 1.: „Ego vero Solonis legem neglegam, qui „capite sanxit, si qui in seditione non alterius utrius par„tis fuisset [1])." Constat cum omnibus hisce causis bonorum venditionem coniunctam fuisse; capitis enim damnatorum bona publicantur. Eius autem bonorum venditionis signum apud Romanos hasta erat, in omnibus, quae ad bonorum venditionem pertinebant, negotiis publice exposita (Cic. Off. II. 8. Phil. II. 26. IV. 4. Nep. Attic. 6. Fest. sub hasta). Ad eandem bonorum venditionem censeo adnumerandam esse hastam in conductione et locatione operarum a magistratu publice positam, cuius multa sunt exempla cf. Colum. praef. libr. I. med. et prae ceteris Liv. XXIV. 18.: „Quum censores ob inopiam ae-

---

1. Demonstrat hoc exemplum, quanti sit ponderis, veram huius vocis tenere significationem, ne in varias incurramus difficultates erroresque, quod doctissimo hoc loco accidit Meiero (de bon. damnat.) qui, quum Aristoteles (ap. Gell. II. 12.) eadem illa Solonis lege cautum esse narret, „ut, qui non alterutra parte sese adiunxerit, is „domo, patria fortunisque omnibus careret exul extorrisque esset," Plutarchus autem (vit. Sol. 20.) perhibeat, infamia illum punitum esse, nullo iure reprehendit Ciceronem, tamquam falsa narrantem. Optime autem consentiunt inter se Aristoteles et Cicero, modo ne verba Ciceronis falso interpretemur. Domus enim patriae omniumque fortunarum amissio res est capitalis. Neque Plutarchi sententia adeo a ceteris abhorret, ut non possit facile cum illis coniungi, namque omnia bona eius, qui maxima multatus est infamia, publicantur. cf. Meier. I. 3. §. 20.

„rarii se iam a locationibus abstinerent aedium sacrarum „tuendarum curuliumque equorum praebendorum ac simi-„lium his rerum, convenere ad eos frequentes, qui hastae „huius generis adsueverant, hortatique censores, ut omnia „perinde agerent, locarent, ac si pecunia in aerario es-„set.“ — Redemptores enim sive conductores omnibus bonis (praedibus praediisque) locatoribus cavent, et, si contractum negotium non praestiterunt, locator bonorum venditione detrimentum suum reconcinnare potest. Eodem porro adnumero centumviralem hastam, quum ad iudicia centumviralia actiones maxime pertinerent, quae sacramento inibantur, quod sacramentum ni solveretur, bonorum venditio haud dubie sequebatur, ita ut omnes, qui in hoc iudicio agerent, caput sub hasta praeberent. Eandem denique ob causam, praetor quidam, qui publicas illas venditiones faciendas, curabat hastiarius dictus est (cf. inscr. ap. Grut. 379.). Quam hastam „dominam“ dici, nescio, quomodo mirum visum est, quum in omnem rem familiarem ceteraque dominetur bona. Eodem fere modo lictorum fasces domini nominantur a Prop. IV. 9, 23. Lachm. „Quum tibi Romano dominas in honore secures, Et li-„ceat medio ponere iura foro.“ Neque maiorem difficultatem adiectivum „venale“ habet; caput enim sub hasta praebitum venale est.

Inspiciamus nunc totum hunc Iuvenalis locum. Quum dicat poeta, vivant Romae,

> Quis facile est aedem conducere, flumina, portus,
> Siccandam eluviem, portandum ad busta cadaver
> Et praebere caput domina venale sub hasta.

num dubium esse potest, eam indicari hastam, quae bonorum venditionem significet, et etiam in locationibus publicis adhibita sit (cf. Liv. l. l.). Qui enim flumina, portus etc. conducunt, in hac operarum conductione caput suum bonorum venditioni, id est hastae subiciunt omnemque rem familiarem in discrimen vocant. Opere enim suscepto neque perfecto omnem possessionem rei publi-

cae pignori dant, eiusque arbitrio permittunt (cf. Suet. Claud. 9. „ut, quum obligatam aerario fidem liberare non „posset, in vacuum lege praediatoria venalis pependerit „sub edicto praefectorum“). Quod periculosae plenum opus aleae non admodum placet pauperi huic Umbricio, praesertim quum illi bonorum venditioni semper, etiam imperatorum temporibus, infamia quaedam coniuncta fuerit, (cf. Cic. pro Quinct. 15. Gai. II. 154. „ignominia, quae „accidit ex bonorum venditione“) idque inter Roma demigrandi causas profert. Quae mea sententia egregie quidem confirmatur a vetere quodam scholiasta ab omnibus adhuc interpretibus aut spreto, aut vituperato, quippe qui ad voces „domina venale sub hasta“ adnotet: „qui pos„sunt a fisco vendi quasi debitores fisci.“ Videtur scholiastes veterem illum nexum ante oculos habuisse, qui XII. tabularum legibus erat sancitus, ita ut debitores, quum debitam pecuniam non solvissent, venirent in servitutem; sed ille nexus debitorisque addictio maxima ex parte lege Poetelia Papiria a. u. 428 [1]) abrogatus est, relicta tamen bonorum venditione. Qua in re si erravit non valde eruditus scholiastes, neque id nobis obstare potest, quod aperte fiscum pro aerario commemorat, quae quamvis Tac. Ann. VI. 2. et etiam Plin. paneg. 36. plane disiungant, tamen magis indies evanuit illa differentia, quum et revera fiscus mox locum obtineret aerarii; quo factum est, ut posteriorum temporum scriptores saepenumero, si aerarium dicendum erat, fiscum exhiberent cf. Eutrop. II. 16. In ceteris prorsus congruit mea scholiastaeque sententia.

---

1) Non enim omnem mihi removit dubitationem van Heusde, diligenti et docta disquisitione de lege Poetelia Papiria (Traiect. Rhen. 1842) ingeniosam proponens coniecturam, illam legem a. u. 440. latam esse, ita ut Livius (VIII. 28. C. Poetelium Libonem Visolum (cos. 428. cum Papirio) et M. Poetelium Libonem confuderit. Quod si statuamus non video certe, quomodo lex Poetelia Papiria appellari possit, quum L. Papirius Mugillanus C. Poetelii collega fuerit et leges utriusque consulis nomine inscribi solerent.

Priorum interpretum errores quasi in saturam quandam composuit suisque condivit Rupertius, quare ad illum statim nos vertamus. Indicat primum, et recte quidem, hos versus perperam a nonnullis de hominihus liberis esse intellectos, qui vel aere alieno obruti, sive adeo lucri pecuniaeque cupidi caput suum, i. e. se ipsos venire sub hasta veluti servos paterentur. Sed non est verisimile, Romae liberum civem Iuvenalis temporibus, ut servum Syria Mauretaniave ortum, sub hasta se posuisse, ut veniret; namque alia iam res est, si quis arenae operam suam locabat. Intellegenda autem sunt negotia, quibus victum quaestumque nobis paramus, iisque talis sui ipsius venditio adnumerari nullo modo potest, ne dicam de eo, quod hoc loco de divitibus iam redemptoribus (quis facile etc.), cogitandum est, ad quos simplici particula „et" non possunt adiungi, qui penuria coacti in servitutem se vendunt. Atque omnem illam opinionem pluribus iam verbis refutavit G. E. Weber (in recens. Iuv. Heinr. in Iahnii ann. philol. 1841. II. p. 125.) Deinde vero non minus ineptam ipse Rupertius proponit sententiam, ultimum illum versum de vectigali rerum venalium et praecipue mancipiorum dictum esse ratus, quam sententiam equidem nulla arte e poetae verbis elicere possum, quum insuper obstent huic interpretationi, quae supra quum de aliis, tum de capitis usu monui, servum non habere caput. Aliam, si recte memini, explicationem in recensione Heinr. Iuven. a Iahnio viro doctissimo conscripta legi, „caput praebere sub hasta" de praeconio esse intellegendum, una saepius cum Libitina commemorato, quod utrumque negotium exercentes et magnas opes et infamiam quandam sibi contraxerint. Sed huic rei idem illud refragatur, quod supra exposui, „praebere caput" non posse dici nisi eum, qui suum caput hastae subponat. Paucis iam Heinrichii opinionem absolvere possum, quippe quae coniecturis nitatur minime necessariis, quum codicum scriptura optimam praebeat sententiam; primum enim „aut"

pro „et“, deinde „domino“ pro „domina“ scribendum ratus, totum locum de civibus se ipsos vendentibus intellegit, quae explicatio omnibus supra iam vituperatis vitiis magnopere laborat. Tali vero mutatione non emendatur locus, sed potius corrumpitur.

Egregium vidimus exemplum, veteres illas interpretationes, quae scholiorum nomine circumferuntur, non temere esse spernendas, quum perantiquae in his lateant, e quibus, dummodo criticam adhibeamus artem, magna utilitas et in constituendis et in explicandis poetae verbis promanare potest. Iam paucos post versus alterum cernimus eiusdem rei documentum. Statim enim de simili homini genere v. 34. pergit Iuvenalis:

Quondam hi cornicines et municipalis arenae
Perpetui comites notaeque per oppida buccae
Munera nunc edunt et, verso pollice volgi,
Quemlibet occidunt populariter: inde reversi
Conducunt foricas, etc. etc.

Quae verba sic a me scripta, ut volgo in editionibus leguntur, nihil habere videntur difficultatis et recte ab enarratoribus explicata sunt; viles homines, cornicines quondam, qui in arenis, ne urbis quidem, sed municipiorum operam praestiterint, nunc ipsos spectacula edere populique gratiam captare interficientes gladiatores, si volgus pollicem vertat, quod signum erat postulantium, ut gladiator aliquis victus conficeretur [1]). Tamen non neglegendum est, quod non solum multi, verum etiam optimi quique et antiquissimi libri pro „vulgi“ scripturam exhibent „vulgus“, (sic legitur in Achaintr. codd. Alexandrino, Ma-

---

1) Cf. Prudent adv. Sym. II. 1097. Stat. Theb. VIII. 26. Burm. Anth. Lat. I. p. 534.

Sperat et in saeva victus gladiator arena,
Sit licet infesto pollice turba minax.

zarineo pr. m., Puteano, Fauchetiano, Thuano altero, Colbertino, aliis; in Rupert. codd. Noviomagensi, Hadr. Iunii, Guelpherbyt. I., Gaybacensi II. multisque edit. prisc.; meorum unus tantum Hamburg. I. „vulgus"), quum tamen nemo facile perspiciat, unde illud „vulgi", vel tironi planum et apertum, depravari potuerit in „vulgus", quod totam perturbat orationem. Quae quo diutius considero, eo magis confirmatur mihi suspicio, genitivum „vulgi" ex emendatione librariorum prodisse veram lectionem „vul„gus" non intellegentium.' Iam contra sententiam quoque haud male, ut mihi quidem videtur, dubitationem excitavit Heinrichius, illud „quem libet occidunt" languere arbitratus, nam, postquam populus pollicem vertit, non hunc illumve interficiunt, sed quem populus interfectum vult. Iam; ni omnia me fallunt, ex pervetusto haud dubie scholiasta antiqua restitui potest scriptura. Lemma enim illius scholii legitur, „Vulgus quum lubet occidunt „populariter" mirumque in modum sic explicatur, „ab his „populus occiditur, quos ante populus iubebat id est „imperabat occidi."

Quid enim? nonne et ex lemmate et ex ipsa illa interpretatione luce clarius patet, Iuvenalem scripsisse:

Munera nunc edunt et verso pollice volgus
Quem iubet, occidunt populariter?

Posset etiam ex scholio illo „quum" retineri pro „quem", quamvis equidem obiectum verbi „occidunt" desiderarem. Formae autem „iubet" et „lubet" totiens confunduntur a librariis, ut haec fere nulla literarum mutatio sit, in qua nititur coniectura. Ne tamen aliena videar pro meis venditare, libenter confiteor, me in hanc emendationem incidisse, praeeunte G. A. Beckero, qui modo, quum neglegeret scholiastae auctoritatem, certo illo carebat argumento, quod omnem eximit dubitationem.

Paulo post v. 49. et sqq.

Quis nunc diligitur, nisi conscius et cui fervens
Aestuat occultis animus semperque tacendis?
Nil tibi se debere putat, nil conferet umquam,
Participem qui te secreti fecit honesti:
Carus erit Verri, qui Verrem tempore, quo vult
Accusare potest. Tanti tibi non sit opaci
Omnis arena Tagi quodque in mare volvitur aurum,
Ut somno careas ponendaque praemia sumas
Tristis et a magno semper timearis amico.

difficultatem, quam priores enarratores omnes praetermiserunt, etiamsi certam non habeo rationem, qua removere possim, tamen exponere necessarium duxi.

Verba „ponendaque praemia sumas" plerumque reddita sunt, „ne sumas praemia, quae aliquando deponere „debes, si, ut alii volunt, amici crimina, quorum conscius „es, detegantur, aut, quod alii protulerunt, si morte opprimaris omnibus bonis nos spoliante." Utrique explicationi obstare vocis „ponere" significationem, nullo iure perhibuit Heineckius [1]); altera autem, quippe quae longius arcessita sit, in simplicissimis verbis „ponenda prae„mia" latere, altera propter sententiam ferri nequit. Etenim, ne dicam de eo, quod sententiosa haec mortis contemplatio parum convenit Iuvenalis menti, cui tandem placere potest inepta illa oppositio inter aurum, quod Tago flumine in mare volvitur et bona, quae morte deponenda sunt, quasi non illud quoque morientibus relinquendum esset. Equidem certe interpretibus potius, quam ipsi poetae talem inconcinnitatem attribuendam esse crediderim. Alia maxime simplex videtur explicatio de praemiis, quae a magno amico pauperi proponenda sunt, ut taceat, dummodo haec cum grammatica congrueret ratione; vereor enim, ut ad illud participium, quod necessitatis dicunt, subaudiri possit aliud subiectum (quae m a g n o a m i c o ponenda sunt), quum aut hanc contineant sententiam,

1) Cf. Horat. ep. 1, 16, 33—35.

„quae a te ponenda sunt," aut generalem, „quae omnino „poni debent." Quae quum intellexisse videatur Heineckius, novam excogitavit interpretationem tam longe arcessitam tamque anxie quaesitam, ut nesciam, an non multis eam persuasurus sit. Putat enim explicandum esse de praemiis, quae magnus amicus conscio det, ut ille aliis ea proponat ad scelus aliquod perficiendum. Iam, quod absolutam omni numero efficiat sententiam, quum neque habeam, neque in verbis, quomodo nunc legantur, inventum iri confidam, corruptelam subesse arbitror, cuius ne emendationem quidem satis certam possum proferre. Etiam quod sententiam praeberet optimam:

Ut somno careas **condendaque** praemia sumas.

„praemia, quae insuper celanda sunt quippe malis arti„bus parata," longius a verisimilitudine abhorret, quam ut, hanc primariam fuisse scripturam, pro certo audeam confirmare. Quapropter exposita difficultate acquiescam, expediendam aliis relinquo. Si autem integra sunt librorum mss. verba, Iuvenalem, accepta illa explicatione de bonis morte deponendis, nec eleganter nec accurate locutum esse statuendum erit.

SATIRA IV.

Perstringit poeta in hac satira Crispinum divitem quendam libertinum eiusque asotiam, qui mullum sex librarum totidem emerit milibus sestertium, non, quod credere possis, orbo seni dono eum daturus magnaeve amicae,

Nil tale èxspectes; emit sibi. Multa videmus,
Quae miser et frugi non fecit Apicius. Hoc tu
Succinctus patria quondam, Crispine, papyro.
Hoc pretium squamae? Potuit fortasse minoris
Piscator, quam piscis, emi. Provincia tanti
Vendit agros: sed maiores Appulia vendit.

Sic distinguenda sunt priora, quum volgo etiam post „papyro" interrogationis signo interpungeretur, quod fieri non potest, nisi cum Orellio, qui in ecl. poet. Lat. edidit hanc satiram, et cum Webero ita coniungas, „hoc tu „— Crispine — hoc pretium squamae ponis?" Sed melius opponuntur inter se notissimus ille nebulo Apicius, cuius nomen in proverbium iam abiit, et libertinus, patria quondam succinctus papyro, si ad verba „hoc tu etc." ex praecedentibus „facis" vel „fecisti", et ad alteram partem „hoc pretium squamae" copulam „est" supplemus, ut bene iudicat Heinrichius, dummodo ne, deleto interrogationis signo post „squamae", orationis alacritatem ac vigorem diminuisset. Itaque interpunctione supra a me exhibita simplicissimus et optimus oritur sententiarum nexus. Sed haec obiter. Disputaturus eram de v 26. et 27., qui maiorem praebent difficultatem, quam primo obtutu crederes; nullam praebuisse videntur Heinrichio, silentio omnia praetermittenti. Quis enim non videt, si explicamus cum Orellio „tanto pretio provincia agros vendit, „sed Apulia, utpote deserta, maiores etiam quam reliquae „provinciae cultiores eo pretio agros solet vendere," omnia illa de Apulia addita ita languere, ut nullo pacto ferri possint? Quod quum sentiret Henninius, coniectura sententiae succurrere conatus, non male quidem „et maiores" scribendum arbitratur, quod explicat: sex milibus sestertium extra Italiam in provinciis ager emi potuit, immo maiores etiam agri in ipsa Italia, in fertili[1]) illa Apu-

1) Non de fertili illa Apulia esse cogitandum iam Hor. epod. 3, 16. docet „siticulosae Apuliae" et, quem Rup. iam laudavit, Senec. epp. 87. „agri suburbani tantum possidet, quantum invidiose „in desertis Apuliae possideret." Quid vero dicam de perversa illa explicandi ratione, qua putat Henninius, „poetam obiter vellicare superbum illud delicatorum nepotum patrii soli fastidium, qui „non dubitarent, pluris emere agros in provinciis, quam ut maiores „fertilioresque eodem pretio in ipsa Italia in fertili illa Apulia sibi „compararent." Sed nondum satis ineptiarum: „tangere poetam etiam

lia veneunt. Sed ne hoc quidem necessarium est, quum optime explicari possit conspirans omnium librorum scriptura. Puto enim sententiam hanc esse: „tanto pretio „provincia totos agros vendit, sed, quid provinciam „dico? in ipsa Italia maiores etiam vendit Apulia.“ Eodem modo particula „sed“ Ovidii illo loco met. VIII. 282., quem Orellius laudavit, intellegenda est:

Misit aprum, quanto maiores herbida tauros
Non habet Epiros: set habent Sicula arva minores,

i. e. misit tantum aprum, quantos herbida Epiros ne tauros quidem habet; sed, quid dico Epiron? quum etiam fertilissima Siciliae arva minores nutriant tauros. Ceterum provinciam Africam potissimum significatam esse putandum erit, ubi magna latifundia locupletiores cives possedisse constat.

SATIRA VI.

Exponit Iuvenalis in notissimo hoc carmine mulierum vitia foedissima atque intolerabilia, ut Postumum quendam, amicum, uxorem ducturum, pravo hoc consilio deterreat; et post alia hos versus ponit:

Porticibusne tibi monstratur femina voto
Digna tuo? Cuneis an habent spectacula totis,
Quod securus ames quodque inde excerpere possis?
Chironomon Ledam molli saltante Bathyllo
Tuccia vesicae non imperat; Appula gannit
Sicut in amplexu subitum et miserabile, longum
Adtendit Thymele: Thymele tunc rustica discit.

ita a novissimo enarratore desparatos, ut, quemadmodum se expediat invenire neget. Et melius utique est, quae nesciamus aperte profiteri, quam, quae vanis hariolationi-

---

„Apulorum gulam, cui ut obsequerentur, agros suos viliori pretio „venderent.“ Tamen haec placuisse videntur Rupertio, placuerunt Achaintrio.

bus extorta sunt, pro certis venditare, quod certatim faciunt ceteri editores, quorum, ut unum pro genere afferam, quid iudicemus de Achaintrio verba „subitum et mi„serabile longum" ita explicante: „nomina sunt saltatio„num et gestuum, quemadmodum et nostris saltationibus „tunc temporis videmus nomina dari." Ut taceam de tota perversissima interpretatione, id tantum quaeram, quum dicat „tunc temporis", quod tandem tempus intellegat? Respondet Grangaeus enarratione sua „subitum et mise„rabile longum nomina sunt saltationum et gestuum, quem„admodum et nostris saltationibus nunc temporis vi„demus nomina dari." Bonus igitur Achaintrius ad verbum, ut facere solet, omnia exscripsit, mutata tantum una voce „nunc" in „tunc". Tamen Grangaei ne nomen quidem exhibuit. Melius igitur Heinrichius, dummodo ne omnia a monachis tantopere corrupta putaret, ut in integrum restitui prorsus nequeant. Iam ne quidquam omnino in his versibus corruptum videatur, interpretando nobis cavendum erit. Orationis partes primum ita distinguendae sunt, ut recte docuit Madvigius (opusc. acad. p. 48.):

Appula gannit,
Sicut in amplexu, subitum et miserabile: longum
Adtendit Thymele, Thymele tunc rustica discit.

Nullo enim modo cohaerere possunt „subitum et misera„bile longum," sive ad priora referas, sive ad sequentia. Sed de his videbimus, nam ab initio est ordiendum.

Saltat Bathyllus pantomimus „chironomon Ledam". Adiectivum „chironomos" ab aliis Romanorum scriptoribus non usurpatur; invenitur tamen saepius similis participii forma „chironomon" (χειρονομῶν). Sic apud ipsum Iuvenalem V. 120.:

Structorem interea, ne qua indignatio desit,
Saltantem spectas et chironomunta volanti
Cultello etc.

de scissore, qui, teste Petron. 36. „ad symphoniam ita ge-

„sticulans lacerat opsonium, ut putes Darium hydraule „cantante pugnare.“ Utraque igitur forma e Graeco sermone in Latinum translata significationem non mutavit. Quapropter etiam si potius exspectaremus „chironomo Ba„thyllo“, quod hoc loco scribendum esse opinabatur Meurs. Orch. Opp. vol. V. p. 269., aeque bene poetico more transferri potest illud epitheton, nam ipsa quasi Leda gestibus libidinem aliosque animi affectus exprimit, neque est, cur ad Gessneri Heinrichiive ridiculas argutias decurramus, quorum alter vertit „Ledam blanditias Iovi gestu facien„tem“, alter „chironomon“ passive dictum esse putat pro „χειρονομουμένην“ (a chironomis multum agitam). Iam vero de Bathyllo, Tuccia, Appula, Thymele disserendum erit.

Bathyllum, de quo dicunt Tac. Ann. I. 34. schol. ad Pers. sat. V. 123. Macrob. Sat. II. 7. multique alii, quos Rupertius laudat, Maecenatis libertum celeberrimumque pantomimum fuisse constat. Sed quum Iuvenalis temporibus, quae haud dubie ipsa hoc loco perstringuntur, non amplius inter vivos esset Bathyllus, duae restant explicandi rationes, aut alium eiusdem nominis pantomimum sui temporis notare poetam, aut clarissimi illius Bathylli nomen, tamquam primi in hac arte, pro toto pantomimorum genere positum esse. Et recte quidem Heinrichius huic interpretationi priorem praetulit, fuisse tum quoque Bathyllum ex antiqui illius Bathylli posteris discipulisque, qui per plura deinceps excelluerint genera, quod docent, quos laudat Heinrichius, I. Scaliger, animadv in Euseb. p. 169. et Salmasius, script. hist. Aug. Vopisc. p. 449., Senecae maxime testimonio: „stat per successores Pyla„dis et Bathylli domus; horum multi discipuli sunt mul„tique doctores.“ Neque id mirum, nam factum est ex antiquitatis more, ut eaedem artes in eadem potissimum excolerentur familia. Vellem in eadem luce posita essent, quae dicenda sunt de Tuccia [1]); ab aliis veterum

1) Sic scribendum esse e melioribus non tantum Iuvenalis co-

scriptoribus non memorata. Nam eam quidem, quam C. Plinius (h. n. XXVIII. 2.) et Val. Max. (VIII. 15.) virginem Vestalem, prostratae pudicitiae accusatam, ad probandam innocentiam, implorata dea, aquam in cribro e Tiberi haustam ad Vestae aedem portasse referunt, non eandem esse quae haec Tuccia, neminem paulo subtilioris ingenii fugere potest. Putant enim nonnulli, sub illius nomine omnium Vestalium secretas libidines incestasque cupiditates notari, ita ut huius Tucciae vesica cum illius cribro comparetur. Scilicet praeclari interpretes studio notam aliquam historiolam investigandi, ad quam hic, ut dicere solent, adlusisset poeta, rem apertissimam praeterviderunt, plane contrarium de virgine Vestali referri, illam aquae imperasse, ne proflueret, huius vesicam solvi. Achaintrius, de ceteris parum sollicitus, pro certo affirmat, Tucciam et Appulam ficta rusticorum mulierum nomina esse. Sed ne quaeram, unde sciat, et fictam esse Tucciae personam, et rusticam, nonne per quam absurde egisset poeta, si ex eodem mulierum genere duas posuisset? Quapropter in eo debemus acquiescere, nos nescire quidem, quaenam fuerit haec femina, exquisitis illis morum illecebris nondum valde adsueta, vixisse autem ipsius poetae temporibus. Non magis certa sunt, quae de Appula statuere possumus; id unum certissimum, omnes adhuc enarratores perperam nomen hoc populi putasse. Cui enim placere potest talis orationis inconcinnitatis, qua inter medias personas certis nominibus significatas, una intericiatur populi nomine, unde orta sit, designata? Quare duplex restat interpretandi ratio, quarum utra potior sit, vix possum decernere: esse nomen feminae aut certae, poetae aequalibus satis notae, eodem modo formatum, quo

---

dicibus apparet, verum etiam e C. Plinii et Val. Maximi, (cf. l. l.) quamquam alii et hic et illuc „Tuscia“ exhibeant, quod tamen corrupte pro „Tusca“ emendatrix librariorum manus posuisse videtur, ut melius responderet nomine Appulae.

„Sabina", „Bruttia", „Galla" etc., aut fictae, ita ut notetur mulier rustica, lubricarum urbis artium imperita. Apulos enim diutius priscorum morum simplicitatem retinuisse, inter multos alios testatur Horatius (epod. II. 42.). Amat autem Iuvenalis, si fingit personas, talia iis imponere nomina, ex quibus facile certa indoles ac natura repetatur [1]). Quae Appula pulcre iam opponitur Thymelae, talibus rebus imbutae atque adsuetae. De Thymele denique, celeberrima mima, nihil ambigi potest, quum et ex aliis eiusdem temporis scriptoribus (Mart. I. 5.) et ex ipso Iuvenale nota sit (I. 36. „a trepido Thymele summissa La„tino" et VIII. 197.:

— Mortem sic quisquam exhorruit, ut sit
Zelotypus Thymeles, stupidi Collega Corinthi?
Res haud mira tamen, citharoedo principe, mimus
Nobilis etc. etc.

Iam totius loci explanatio non multum habet difficultatis, omissa, qua ne opus quidem erit priorum interpretum refutatione. In toto theatro, inquit, nulla est femina, quam securus amare, quam uxorem possis ducere; ibi enim Bathylli lascivas obscenasque saltationes spectantes, veros aperiunt animos veramque naturam. Tuccia, libidinis intemperantia correpta, vesicae non imperat; Appula insuetis stimulata spectaculis gannit, sicut in amplexu subitum et miserabile, id est, crebros et subitos singultus edit; quin etiam celeberrima mima Thymele, licet iam omnibus libidinosis artificiis versata, adeo movetur animumque adtendit, quasi et ipsa rustica et illarum rerum imperita etiamnunc discat. Adiectiva „subitum", „mi„serabile", „longum" pro adverbiis posita nihil praebent negotii, quod ex ipsius poetae more factum esse, multa probant exempla. Sic sat. I. 16. „altum dormire", sat. III. 107. „rectum minxit" etc. etc. (cf. Virg. Aen. X. 740.

---

1) Simile ex alio genere exemplum est VII. 218. „Acoenone„tus" homo, qui non libenter cum aliis communicat.

„nec longum laetabere". Virg. ecl. III. 79. „longum vale". Plaut. Epid. V. 1, 58. „nimis longum loquor".)

Quae quum ita se habeant, per se iam cadit illa difficultas, quam omnium instar protulit Heinrichius, non intellegere sese professus, quid in pantomimicis ludis, nam talis erat Bathylli saltatio, sibi velit mima Thymele. Qua in re minime profecto offendisset, si perspexisset, non inter actores fuisse Thymelen, sed inter spectatores.

Pergit poeta in enumerandis, ut loquar cum Salmasio, sequioris et nequioris sexus vitiis:

Quaedam parva quidem, sed non toleranda maritis.
Nam quid rancidius, quam quod se non putat ulla
Formosam, nisi quae de Tusca Graecula facta est,
De Sulmonensi mera Cecropis? Omnia Graece:
Quum sit turpe magis nostris nescire Latine.

Qui ultimus versus varie ab interpretibus est perturbatus, eo, ut videtur, offensis, quod „magis" non habeat, quo referatur, ideoque coniecturis alii sententiae succurrendum putarunt, Rupertius autem totum versum „pannum" iudicat „a scholastico quodam adsutum". Heinrichius de more alius scriptoris verba quaerens, quae Iuvenalis animo obversata arbitratur, rem magis obscurat, quam illustrat. Nemo enim praeter ipsum ullam similitudinem inter Ciceronis (Brut. §. 140.) verba: „non enim „tam praeclarum est scire Latine, quam turpe nescire" et hunc versum invenerit; et tamen ne id quidem exposuit, quo referenda sit comparationis particula „magis". Potest autem, ita, ut poetam maiore dicendi licentia usum esse statuamus, ex superioribus, „omnia Graece", contrarium promi: „quum sit turpe magis nescire Latine, quam „omnino nescire Graece;" quo facto, neque quid corruptum sit in his verbis video, neque quid langueat. Carpit enim mulieres, quae, aliena lingua usae, patrium ser-

monem neglegant ac nesciant. Cui explicationi ne id quidem obstat, quod in hoc ipso carmine (v. 434 — 445.) Iuvenalis nimis doctas queritur feminas. Quis enim contendat, poetam utroque loco easdem mulieres in mente habuisse, quum modo hanc, modo illam perstringere potuerit?

De mulierum immoderatis libidinibus pergit:

Sunt quas eunuchi imbelles ac mollia semper
Oscula delectent et desparatio barbae,
Et quod abortivo non est opus. Illa voluptas
Summa tamen, quod iam calida matura iuventa
Inguina traduntur medicis, iam pectine nigro.
Ergo exspectatos [1]) ac iussos crescere primum
Testiculos, postquam coeperunt esse bilibres,
Tonsoris damno tantum rapit Heliodorus.
Conspicuus longe cunctisque notabilis intrat
Balnea, nec dubie custodem vitis et horti
Provocat, a domina factus spado. Dormiat ille
Cum domina; sed tu iam durum, Postume, iamque
Tondendum eunucho Bromium comittere noli.

Quorum v. 373. non difficilis est intellectu; dicuntur enim testiculi, ut recte animadverterunt viri docti, rapi ab Heliodoro „tonsoris tantum damno“, quia matronae nihilo secius cum spadone rem veneream exercere possunt, ideoque damno ipsae afficiuntur nullo. Miram autem scripturam pro „tantum“ exhibet Abbo Floriacensis, (edit. in Mai auct. class. vol. V. p. 334.) qui hunc versum ita ponit:

Tonsoris damno Licini rapit Heliodorus

---

1) Nescio profecto, cur Rupert. ac Heinr. omnium fere et antiquissimorum librorum auctoritatem respuentes v. 371. „spectatos“ ediderint, quod alibi in his carminibus non invenitur, pro „exspe- „ctatos“ verbo Iuvenali usitatissimo. Cf. I. 14, 109. II. 115. IV. 22. VI. 75, 239, 488. VII. 180. VIII. 86. IX. 69. X. 311. XI. 10, 162. XII. 3, 95, etc. etc.

Notus est tonsor Licinus ex Hor. a. p. v. 301. qui, qua de causa a Iuvenale hoc loco sit commemoratus, non possum assequi, praesertim quum hic quoque Licinus, nisi idem homo est, qui saepe tamquam hominis ditissimi exemplum ponitur, et admodum dives et proprie ne tonsor quidem fuisse videatur (cf. Madv. diss. alt. p. 32.). Quo magis miror, quod Ang. Mai vulgatae scripturae „tantum", ineptae, ut putat, praeferendum censet illud „Licini", quem ipsum Abbonem Floriacensem memoriae lapsu et confusione quadam ex Horatiana epistula huc intrusisse persuasum habeo.

Sed revertor ad propositum; est enim dicendum de vv. 377 et 378, quos Heinrichius, praeeuntibus Lubino, Farnabio, Bahrdtio, aliis, parum recte hunc fere in modum explicavit: dormiat spado ille, qui supra erat descriptus, cum domina, cui nocere non potest; cave autem, ne Bromium tuum (servum, quem ab ipso Postumo amatum putat) tradas eunucho, nam ab hoc statim immanitate penis diffindetur atque disrumpetur. Obstat autem huic interpretationi, quod oppositio, quae aperte est inter eunuchum illum (cui barba non crescit vv. 367, 373.) et inter durum iamque tondendum Bromium, prorsus exstinguitur; deinde totius loci tenor, si de servorum cum servis stupro dicitur, ubi sola mulierum vitia carpuntur, misere interrumpitur; quo accedit, ut universa sententia, per se iam satis ridicula, plane intolerabilis reddatur, quia Bromius, ut taceam de eo, quod a Postumo amari interpretibus tantum visus est, non poetae, aperte durus et iam tondendus fingitur, quum tamen ex illorum mente tener et mollis esset dicendus.

Simplicissimam contra reique aptissimam sententiam reperisse Rupertium, quis poterit negare? Interpretatus enim est: dormiat a domina factus spado cum ista, nam numquam ex eo concipiet, et abortivo non opus est; sed tu iam duro et tondendo, cui vis genitalis non adempta est, Bromio noli concedere, ut concumbat cum ea, quia

omnes statim turpem uxoris consuetudinem tuamque comperient ignominiam. Et sane, quid melius cum superioribus cohaereat, nescio; quapropter quaerendum, utrum in verbis haec sententia inesse possit, necne. Rupertius autem hoc loco vocis committere sollemnem componendi et comparandi significationem statuit. Esse enim verbum theatri, arenae, certaminis publicis, maxime de gladiatoribus usurpatum, quorum paria componebantur, ut inter se pugnarent, quod exemplis demonstrat, sat. I. v. 162. „Securus licet Aeneam Rutulumque ferocem Comittas," et huius ipsius carminis v. 436. „Laudat Virgilium, periturae ignoscit Elissae, Committit vates et comparat" (cf. Suet. Calig. 56. Prop. II. 3, 21.). Putat igitur, sententiam hanc esse: cave patiaris, Bromium cum eunucho quasi descendere in certam stupri uxori tuae inferendi. Sed omnino, ut committendi verbum hoc loco ita dici possit, quod mihi quidem non videtur, tamen omnis certaminis alicuius commemoratio ab hoc loco alienissima est; nam uter servus in stupranda domina alteri palmam praeripiat, omnino non ad rem pertinet.

Multo minus etiam a ceteris adiuvamur interpretibus, quorum omnium Scaliger [1]) maxime a vero aberravit, qui, quemadmodum Catullus „asino tradere dicat" pro „asinum facere" vel „asino tradi" pro „subfici in locum asini" sic hoc loco Iuvenalem „committere eunucho" scripsisse putat pro „eunuchum facere, castrare" ea sententia: noli castrare catamitum iam grandiorem, ne forte uxori tuae usui sit. Iam quum ita res se habeat, ut ceterorum interpretum opiniones ineptas, Rupertii nec cum verbis nec cum sententia satis congruentem cognoverimus, neque alia inveniri posse videatur explicandi ratio, comprobatur suspicio, quae, quotiens in hunc locum incidi, mihi orta est, veteri corruptela orationem impediri atque ob-

---

1) Cf. ad Cat. 97, 10. pag. 114. Cf. Voss. ad Cat. p. 326.

scurari. Quod si statuas, non est difficilis emendatio, quam propositurus sum. Quid enim, si scripsit Iuvenalis:

Dormiat ille
Cum domina, sed tu iam durum, Postume, iamque
Tondendum moechae Bromium committere noli?

SATIRA X.

In praestantissimo hoc carmine Iuvenalis in hominum perversitatem invehitur, qua verorum bonorum ignari inanibus vanisque precibus deorum aures fatigent. Cuius temeritatis atque stultitiae postquam complura persecutus est exempla, v. 54 et 55. haec ponit verba:

Ergo supervacua aut perniciosa petuntur,
Propter quae fas est genua incerare deorum,

In his optimo profecto iure miratur Madvigius, quod tot editores interpretesque silentio transmiserint versum, qui si ita legeretur, quomodo eum e conspirantibus exaravi libris editionibusque vesaniae argueret poetam. „Nam", inquit, „dicere, fas esse genua deorum incerare propter ea, „quae supervacua et perniciosa sint, quae est amentia? „Ironia autem, quo non dubito, quin confugiatur, qualis „haec est, ut simplicissimae veritatis professioni (super„vacua aut perniciosa) per relativum adiungatur contra„rium?" Et certe delirat, cui talis placere potest ironia. Erraret non contra communem quidem sensum, sed contra linguae usum, si quis, ut ipse olim feci, alterum illum versum per interrogationem pronuntiandum putaret, intellecta interrogandi particula (et propter ea fasne est, genua incerare deorum?), quod in hac relativae orationis forma fieri posse negandum est. Sed quid verba faciam de difficultatibus praeclare Madvigii coniectura expeditis?

Scribendum est, ita ut plenius interpunguntur post „pe- „tuntur“:

Propter quae fas est, genua incerate deorum.

Sed ne sic quidem omnibus vitiis carere hunc locum persuasum mihi est. Egregia enim Madvigii opera in altero tantum versu substitit; hiatus autem ille, quem in altero versu inveneris, certis similibusque locis vix probari poterit; Heinrichius quidem illud „a“ in „supervacua“ caesura produci opinabatur, exempla autem attulit nulla. Quam ut redarguam opinionem, cur ad reliquos antiquitatis poetas [1]) confugiam, causam non video, quum satis ampla versuum hiatum continentium copia in ipsis his satiris inveniatur, quorum natura prae ceteris erit investiganda. Sunt enim hi versus:

VI. 274.	In statione sua [2]) atque exspectantibus illis.
X. 281.	Bellorum pompa, animam exhalasset epimam.
(XV. 126.	Hac saevit rabie imbelle et inutile volgus.)
VI. 468.	Incipit agnosci atque illo lacte fovetur.
XII. 110.	Partem aliquam belli et euntem in proelia turrem.
XIII. 65.	Hoc monstrum puero, aut miranti sub aratro.
XIV. 49.	Sed peccaturo obstet [3]) tibi filius infans.
III. 70.	Hic Andro, ille Samo, hic Trallibus aut Alabandis.

In aliis minus iam usitatis caesuris insunt hiatus:

V. 158. Quis melior plorante gula? ergo omnia fiunt.

---

1) Unus tantum versus notus mihi est, Virg, Aeneid. XII. 684.

Sancta ad vos anima atque istius nescia culpae.

qui pro Heinrichio facere videtur; sed ne hic quidem omnem mihi eximere potest dubitationem, praesertim quum Virgilius maiore plerumque licentia in componendis versibus usus etiam longam syllabam corripiat ante vocalem, cf. Ecl. VI. 44.

2) Sic scribunt X. antiquiores Achaintr. libri, IV. Rupert. et meorum alter Zwicc. (Pulm.) duo Hamb. Chemn. Alii omnes vario modo, metro metuentes, antiquam scripturam mutarunt. Sic. in Putean. pro „atque ex“ invenitur „nec non“, in aliis: „atque ipsis „exspect.“

3) In multis codd. legitur „obsistat“, quod haud dubie metri causa datum est a librariis; mei omnes „obstet“ praeter Chemn. (obsistat) et alterum Zwicc. (obsistet).

I. 151. Ingenium par materiae? [1]) unde illa priorum
II. 26. Si fur displiceat Verri, homicida Miloni.
XII. 36. Testiculi: adeo medicatum intellegit inguen.

Iam vero, quum de tot ipsius Iuvenalis versibus iudicare nobis liceat, pro certo statuere possumus, Iuvenalem non raro quidem in caesura admisisse hiatum, ita tamen, ut semper praecedens syllaba longa sit. Quae exempla si accuratius perlustrasset Heinrichius, haud dubie vidisset, aut corruptelam aut unius syllabae lacunam hoc loco subesse, ut viderunt Schurzfleischius et Rupertius, quorum tamen coniecturae:

Ergo supervacua aut et perniciosa petuntur.

et:

Ergo supervacua haec aut perniciosa petuntur.

quum, quomodo ex his vitium potuerit nasci, non perspiciatur, nihil habent, quod valde nobis arrideat. Scribendum est, ni omnia me fallunt:

Ergo supervacua aut vel perniciosa petuntur.

ita, ut „vel“ cum perniciosa coniungatur eiusque vocis significationem intendat, quasi dictum esset, „supervacua „aut adeo (immo, etiam) perniciosa.“ Quod si receperimus, non modo aptissimam habemus gradationem, verum etiam facillime intellegitur, cur omiserint librarii particulam „vel“, nimirum quia eandem utrique voci subesse putabant significationem. Accedit quod in duobus meorum librorum Miggr. et Dresd. pro particula „aut“ scriptum est „vel“, quibuscum haud dubie plures consentientes inveniremus, si diligentius collocati essent codices.

Iam singula hominum vota accuratius paulo adumbrans, egregie omnem istam perstringit vesaniam, alios gloriam, alios divitias concupiscere, quamvis sint perni-

1) Nonnulli libri metri causa copulam addunt „est“.

ciosissimae, alios longam senectutem, quamvis corpus omniaque membra debilia atque inutilia reddat. Quam sententiam v. 232. ita persequitur:

> Sed omni
> **Membrorum damno maior dementia, quae nec**
> **Nomina servorum, nec voltum agnoscit amici,**
> **Cum quo praeterita coenavit nocte, nec illos,**
> **Quos genuit, quos eduxit. Nam codice saevo**
> **Heredes vetat esse suos, bona tota feruntur**
> **Ad Phialen: tantum artificis valet halitus oris,**
> **Quod steterat multis in carcere fornicis annis.**

De quibus, quum multum iam ac diu disputatum sit inter viros doctos, non revocarem denuo controversiam, ni Heinrichius qui unus ex philologis uberius de his versibus egit, in nimios fere lapsus esset errores, quare contra illum maxime hoc loco mihi erit pugnandum. Disceptatur enim, utrum verba „nam codice saevo heredes vetat esse suos“ de exheredatione an de praeteritione sint intellegenda. Ac primo quidem aspectu ad praeteritionem statuendam facile inclinari, minime mirum est, quum in superioribus ubique de senectutis debilitate dicatur, qua omnibus corporis animique viribus privemur, et de oblivione, quae inde orta nec servorum nomina, nec amici vultum, nec ipsos filios agnoscere patiatur. Quid igitur simplicius, quam dementem illum patrem in faciendo testamento suos oblivione praeterisse? Est quidem haec Heinrichii sententia. Iam vero audiamus singula erroribus vitiisque abundantia. Primum enim putat, poetam ad Claudium imperatorem respexisse, cuius misera mentis imbecillitas satis nota est, (laudat de ea re Tac. Ann. XI. 38.). Sed neque in reliquis certa sunt indicia, quibus ad hunc imperatorum vocemur, neque ullo modo, quae de testamento dicuntur, ad Claudium referri possunt, quem nemo umquam retulit testamento filios exheredasse. Anne novo hoc exemplo novoque errore perversa ista Heinrichii tectarum obliquarumque notationum quaerendarum consuetudo praeclare redarguitur? Exheredationem autem ideo

statui posse negat, quia, ut exheredaretur filius, certae iustaeque causae in testamento fuissent ponendae. Quod, ut concedamus, minime contra exheredationem pugnat; quid ni enim senex causas testamento inserere poterat? Sed ne est quidem verum, quod vidisset Heinrichius, si dig. XXVIII. tit. 2. §. 1 — 3., quae laudat, ipse inspexisset, ubi aperte dictum est, ad exheredationem sufficere solam formulam „filius meus exheres esto", ne nomine quidem filii apposito. Constat autem, ni fallor, inter ICtos, eam causarum probationem a Iustiniano demum esse introductam.

Sed, quominus de praeteritione haec verba intellegamus, multa obstant. Primum enim, si praeteriti sunt testamento sui heredes, testamentum nullum est vel inutile, neque, quemadmodum omnia bona ad Phialen venire possint, perspicitur (cf. Gai II. 123.); praeteriti enim statim contra tabulas a praetore bonorum possessionem accipiunt (cf. Gai. II. 125, 135.). Itaque, cur saevus dicatur codex, nulla est causa. Deinde verba „saevo co„dice heredes vetat esse suos" luce clarius ad illam exheredandi formulam spectant: „filius meus exheres esto", neque ullo modo testator, qui oblivione transit filios dici potest „vetare filios suos heredes esse". Quae omnia me commovent, ut solam hoc loco exheredationem statui posse putem, neque contra certissimas has rationes ullius momenti esse potest, quod Heinrichius in exheredatione bona ad Phialen venire potuisse negat, quia persona fuerit turpis. Quid enim? nonne idem in praeteritione accidere necesse fuit? Patet igitur, aut Phialen non fuisse legibus turpem, aut Iuvenalem id non curasse. Iam id unum restat, ut demonstrem, ne sententiarum quidem nexui obesse exheredationem; postquam enim in superioribus poeta locutus est de corporis senilis infirmitate, iam pergit: „sed omni

1) Cf. Gai. II. 127.
2) Cf. auth. coll. nov. 115 c. 3.

membrorum damno maior est dementia, quae nec servos agnoscat, nec amicos, nec ipsos, ut ex testamento apparet, filios, quippe quos exheredes esse iusserit. Comparatur igitur senis vesania, qua meretricem filiis suis praeponit, cum virium imbecillitate, qua etiam ceteros, quorum consuetudine usus est, non agnoscit; itaque oblivioni Iuvenalis eam dementiam adiungit, quae consilio in suos saevit.

SATIRA XI.

Verba statim ab initio:

Atticus eximie si coenat, lautus habetur,
Si Rutilus demens. Quid enim maiore cachinno
Excipitur volgi, quam pauper Apicius? Omnis
Convictus, thermae, stationes, omne theatrum
De Rutilo. Nam dum valida ac iuvenilia membra
Sufficiunt galeae dumque ardens sanguine, fertur,
Non cogente quidem, sed nec prohibente tribuno,
Scripturus leges et regia verba lanistae.

nullam omnino viris doctis movisse videntur dubitationem, qui, quum omnes aeque leviter summas difficultates silentio fere transeant, tam foede in interpretando labuntur, ut paulo uberius de hoc loco agere non alienum videatur. De Rutilo illo nihil habemus compertum, quam quae ex ipsis his versibus colligere possumus, fuisse eum nepotem quendam, qui ad egestatem redactus, quum aut „omnem fundum Laremque ventri donasset“, aut omnino non magnis praeditus fuisset opibus, nihilo secius luxuriosam continuaret vitam. Neque scholiastes melius eum noverat, cuius interpretatio: „per Atticum divitem volt „intellegi quemlibet, per Rutilum autem pauperum, quem „dementem ideo dixit, quia in divitibus, quae humanitas „dicitur, haec in paupertate dementia habetur,“ ex ipsa hac satira profecta est. Sed quid tandem sibi volunt verba:

„non cogente quidem, sed nec prohibente tribuno?“ Prompta quidem habent, quae respondeant, eadem omnes enarratores, sed eodem modo perversa atque inepta. Quapropter, omissis ceteris, unum audiamus Heinrichium. Respicit ad Iuvenalis sat. VIII. 193., ubi simili prorsus ratione dictum sit, „Vendunt (sua funera) nullo cogente Ne„rone [1]), Nec dubitant celsi Praetoris vendere ludis.“ Significari igitur, Rutilum mox lanistae se venditurum et, quamvis a nullo coactus sit imperatore, descensurum in arenam; imperatoris autem notationem latere sub voce „tribuno“, quum notum sit, Caesares ipsos tribuniciam potestatem assumpsisse. Sequentibus deinde verbis „nec „prohibente tribuno“ imperatores obiter velli a poeta, quod foedam istam hominum consuetudinem se ipsos lanistae vendentium nemo vetet atque opprimat. Magnopere autem miror, quomodo fieri potuerit, ut in tantos incideret errores Heinrichius, qui ipse statim concedat, imperatores, licet tribuniciae potestatis appellationem asciverint, nec revera fuisse, nec nominatos esse tribunos, quorum muneri e plebeiis tantummodo creati praeficiebantur. Quod quum ita sit, neque alterum profecto huius dicendi generis in tota antiquitate exstet exemplum, nescio, quemadmodum simplici voce „tribuno“ imperator possit significari, ad quem intellegendum nullum aliud ne miminum quidem nos vocat indicium. Quid, quod in satira VII., ubi de parco emolumento, quod grammaticis rhetoribusque ex scholis redeat, dicitur, v. 228 verba:

Rara tamen merces, quae cognitione tribuni
Non egeat etc.

eodem iure de imperatore explicari potuissent? Utrumque enim locum artissime cohaerere demonstraturus sum. Sed in his quoque incredibile quantopere erraverint in-

---

1) Neronem multos et nobilissimos quosque in Arenam descendere coegisse, ut dedecus suum, quia similibus rebus se inquinavit, molliret notum est e Tac. Ann. XIV. 14.

terpretes. Rupertius „tribunos non plebis, qui ius haud „dicerent, sed aerarios, qui de levioribus potissimum cau„sis rebusque pecuniariis cognoscerent,“ intellegendos esse putat; „notum enim esse vel tironibus, iudicia, quae pri„mis temporibus penes senatum fuerint, lege Sempronia „C. Gracchi ad equites translata, tum a C. Sulla senato„ribus esse restituta et tandem lege Aurelia tribus ordi„nibus communia esse facta, ita ut exinde senatus, equi„tes et e plebe tribuni aerarii iudicarent et in singulis „iudiciis e tribus istis decuriis aliquot legerentur. Ter„tiam quidem decuriam tribunorum aerariorum C. Caesa„rem dictatorem sustulisse, sed mox restitutam esse ab „Augusto.“ Quae ultima somniasse videtur Rupertius, aut perperam collegisse ex Suet. Aug. 32.: „Ad tres iu„dicum decurias quartam addidit ex inferiore censu, quae „ducenariorum vocaretur iudicaretque de levioribus sum„mis,“ quum nec usquam ab Augusto tribunorum aerariorum ordinem restitutum esse memoriae proditum sit, neque post Caesarem commemoretur. Quapropter, illis reiectis, redeundum erit ad tribunos plebis, quamquam ne ita quidem, quum neque de eorum iurisdictione imperatorum temporibus exercita plura comperta habeamus, multum adiuvamur. Tamen totam rem tribus fere verbis expedisse sibi visus est Heinrichius, qui, tamquam omnia per se iam paterent, ita dicit: „das lehrgeld musste oft „eingeklagt werden, eine cognitio extraordinaria, die der „tribunus plebis wie der praetor hatte. Spaeter hoerte „die cognitio tribuni auf und verblieb allein dem prae„tor.“ Quae unde habeat, per scire cuperem nam e dig. lib. L. tit. XIII., quem laudat, id modo perspicitur, Ulpiani iam temporibus de his grammaticorum rhetorumque mercedibus praetorem et in provincia praesidem ius dixisse. Nihilominus Iuvenalis verba intellegenda sunt de tribuno plebis, quem iurisdictionem quandam habuisse, quum ex ipsis his versibus credi debet, tum aliis quibusdam, quae accedunt, argumentis probatur. Non autem

huc pertinent, quae liberae rei publicae maxime temporibus viguerunt iudicia, in quibus appellati erant tribuni plebis [1]), quum in iis ius provocationis magis, huic potissimum magistratui proprium, quam iurisdictio appareat. Sed, quum A. Gell. XIII. 12. dicat, „tribuni plebis antiquitus creati videntur non iuri dicundo, nec causis querelisque de absentibus noscendis, sed intercessionibus faciendis etc.", superiora tempora suae opponens aetati, indicare videtur, iam talia ad tribunos pertinuisse. Deinde, quum respicimus ad dig. l. l., quo proditum erat, in extraordinariis cognitionibus, quales sunt de grammaticorum rhetorumque mercedibus, penes praetores (et in provinciis penes praesides) fuisse iudicia, quid melius cum nostra concinet opinione, quam si demonstrari queat, tribunos plebis saepenumero cum praetoribus coniunctum exercuisse munus. Sic autem tutores, quos Atilianos vocarunt, a praetore urbano petuntur et a maiore parte tribunorum plebis (cf. Gai. I. §. 185. et ubi eadem leguntur verba, inst. lib. I. tit. 20. statim additur, „praetorem secundum suam iurisdictionem creare tutores"). Item ad rem numariam constituendam tribuni plebis edictum conscripserunt cum poena atque iudicio, adhibito praetorum collegio, ut narrat Cic. off. III. 20. (cf. Liv. XL. 29.). Quae quum ita se habeant, iam dubitari nequit, quin ab ipsis tribunis saepissime ius sit petitum; semper fere petendum fuisse grammaticis rhetoribusque, quum discipuli debitam mercedem non solverent, hi satirae VII. versus indicio sunt.

Sed redeamus ad alterum illum satirae XI. locum, cuius fere eandem esse rationem, nunc facile intellegitur. Narratur enim de nebulone, qui, sive quod omnino nihil possedit, sive ea quae possederit, dissipavit, alieno aere

---

1) Liv. XLII. 33. XXXVIII. 52, 53, 60. Ascon. ad Cic. p. Mil. 14. Gell. VII. 19.

1) Cf. Ulp. fragm. XI. §. 18. Liv. XXXIX. 9.

luxuriari pergat. Iam vero, quum creditores semper elusi, tandem mutuam dare pecuniam recusent, nullum exitum videt alium, quam ut lanistae se vendat atque operam det arenae,

Non cogente quidem, sed nec prohibente tribuno,

id est, nondum quidem accusatus a creditore et tribuni cognitione coactus, ut se in servitutem vendat; sed eo iam redactus, ut parum absit, quin accusetur atque ita a tribuno damnetur. Id ultimum igitur lepide dicitur „sed „nec prohibente tribuno," usitato de tribunorum intercessione verbo, ut scite animadvertit Heinrichius. Revera enim tribunus prohibere non potest, quominus se vendat Rutilus; nam quae scholiastes quidam adnotavit, „quia „custodes erant libertatis," inania sunt.

SATIRA XII.

Poeta propter felicem amici reditum, qui saevissima tempestate in itinere conflictatus, incolumis ex omnibus maris periculis evaserat, ad festum celebrandum diem, quo dis vota solveret, Corvinum invitat ipsamque illam tempestatem his verbis describit:

30) Quum plenus fluctu medius foret alveus et iam,
Alternum puppis latus evertentibus undis,
Arboris incertae, nullam prudentia cani
Rectoris conferret opem: decidere iactu
Coepit cum ventis, etc. etc.

Quae, quod vehementer editores vexarunt, non mirum est, dummodo ne, huc illuc fluctuantes foedeque tandem lapsi, nimias in unius loci explicatione coacervassent ineptias. Nam delirat primum Achaintrius, qui commate intercidens post „iam" et post „undis", deleta autem distinctione post „incertae", per inauditam ellipsin verbis succurendum esse arbitratur, ita ut cohaereant „quum me-

„dius alveus fluctu foret plenus et iam (undis evertenti-„bus alternum puppis latus) prudentia cani rectoris nul-„lam conferret opem (periculo) arboris incertae.“ Quod periculum nullo modo in genitivis „arboris incertae“ audiri potest, qui haud dubie cum praecedentibus sunt coniungendi. Rupertius autem totum locum ita perturbavit, quum vocem „puppis“ glossema ad „arboris incertae“ ascriptum putaret, ut refutationem eorum, quae substituenda opinatur, non necessariam ducam. Eodem modo infelices erant, qui coniecturis impeditae constructioni mederi statuerunt; longe omnium infelicissimus Schurzfleischius, qui scribendum ratus,

> Quum plenus fluctu medius foret alveus et iam
> Alternum puppis latus, evertentibus undis
> Arboris incurvum, nullam prudentia cani
> Rectoris quum ferret opem: decidere iactu
> Coepit etc. etc.

ne dicam de audaciore literarum mutatione, intulit, quae nec Latine dici possunt, „arboris incurvum“ pro incurvo malo, nec luculentam efficiunt sententiam. Heinrichius paulo meliorem Iacobsii coniecturam „aequoris incerti“ nova coniectura ei superstructa pessumdedit, quum putet „arboris“ non in „aequoris“ sed in „marmoris“ esse mutandum. Sed tumultuosum mare „marmor“ dici posse, neque veterum exempla satis probant, neque apte tempestuosi maris imago de marmore repetita esset, quae placido modo planoque aequori accommodata est [1]).

Si verba, quemadmodum nunc in libris leguntur, ab ipso Iuvenale profecta sunt, unus omnium Madvigius summo ingenii acumine solam, quae ferri potest, sententiarum cohaerentiam declaravit, quum orationem post „et“ ac post „undis“ intercisam sic iubeat intellegi: „Quum alveus flu-„ctu plenus foret et arboris incertae, i. e. mali instabilis „et iamiam casuri, quod efficiebatur ex gravissima iacta-

1) Cf. Virg. Aen. VII. 28.

„tione, (alternum puppis latus evertentibus undis), nullam „(i. e. omissa in vehementi et celeriter decurrente ora„tione particula, et nullam) prudentia cani rectoris con„ferret opem: decidere iactu et q. sq." At nescio, quid habeat insuavis atque impoliti universa haec enunciatio. Singulis enim partibus tam obscure perturbatis atque permixtis, ut non facile expediantur, et diversissimis constructionibus uni verbo coniunctis (quum alveus plenus foret fluctu et arboris incertae), omissa denique altera particula „et", quod eodem modo Iuvenalem alibi fecisse non animadverti, mirum in modum quotienscumque hos versus perlego, pungor atque offendor; neque etiam Madvigii egregia opera corruptelae sub vocibus „arboris in certae" latentis suspicionem, quam dudum iam volveram in animo, prorsus mihi exemit. Confirmat autem opinionem meam librariorum in ipsis his verbis dissidentium oscitantia, quum ex octo Rupertii libris pro „incertae" enotatum sit „incerto", quibuscum conspirant decem Achaintrii codices et ex meis Zwiccav. Hamb. II. Chemn. Editio princ. Rom. exhibet „incerti". Itaque comprobetur fortasse, quam propositurus sum, emendatio, reliquis virorum doctorum coniecturis, quod ad literarum mutationem, verisimilior, quod ad sententiam, aut melior, aut certe non inferior. Sic enim scribendum esse puto:

Quum plenus fluctu medius foret alveus et, iam
Alternum puppis latus evertentibus undis
A r b o r e q u e i n c e r t a, nullam prudentia cani
Rectoris conferret opem: decidere iactu
Coepit et q. sq.

ea sententia: „quum plenus foret alveus fluctu, et prudentia cani rectoris, quum iam undae alternum puppis la„tus everterent malusque esset incertus, nullam conferret „opem: decidere coepit etc. etc." Quid enim? nonne facillime, quum per compendium exararetur „arboreq", festinans librarius in genitivi formam aberrare potuit? quo facto vocem „incerta" alii in „incerto" mutarunt, (quod

frustra defendit Ascensius), alii in genitivum „incertae“. Et ipse vetus quidam scholiastes ablativos, quos vocant absolutos, hoc loco legisse videtur, qui adnotavit ad voces „alternum puppis“, „latus dabat navis et arbore „coacta“.

DE
SATIRA QUINTA DECIMA QUAE SUB JUVENALIS NOMINE CIRCUMFERTUR.

Constare videtur inter viros doctos, sextam decimam, quae volgo ferebatur, Iuvenalis spuriam et nescio, quo fato ceteris longe praestantioribus huius poetae carminibus adsutam esse; neque propter minutas causas, quas addere possum ad firmandam hanc suspicionem, examen illud ab Heinrichio satis diligenter et docte institutum revocabo; magnopere autem miror, quod, quum multi pro certo iam haberent, multi non improbabile putarent, genuinis Iuvenalis carminibus addita esse aliena atque adulterina quaedam, nec ipse statim Heinrichius [1]), neque ceteri editores interpretesve accuratius animum in aliud carmen intenderunt, in quod aeque omnia, et quae illic suspicionem praebebant, et longe plura atque etiam graviora cadunt, praecedentem dico satiram quintam decimam, quam adeo a Juvenalis vi et arte poetica abhorrere

1) In praef. vol. II. p. 22 ed. Heinr. haec leguntur: sämmtliche satiren sind ächt mit ausnahme der letzten, deren unächtheit auch in den alten scholien anerkannt wird; aber auch die vorletzte kann wegen ihrer ächtheit in frage kommen. Postero quidem tempore, confirmata illa suspicione, non minus hanc, quam ultimam satiram Iuvenalis nomine prorsus indignam habuit, ut Heinrichius filius refert in prooemio editioni praemisso.

adeoque aliis quoque de causis in suspicionem vocari, ut nihil possit dubitari, quin spuria sit et subditicia, demonstraturus sum.

Ut ab externis, quae dici solent, argumentis incipiam, non quidem, quae per se iam satis gravia sint ad damnandum illud carmen, suppetere nobis confiteor, sed, quae suspectum saltem reddere possint, non omnino desunt talia externa etiam argumenta atque indicia. Quod enim contra ultimam satiram monere videtur Achaintrius, (vol. I. p. 558.) eam in antiquissimis quibusdam codicibus praeponi quintae decimae, quam transpositionem Calderinus quoque animadvertit, magis contra ipsam hanc quintam decimam pugnat, quam contra ultimam. Quo accedit, quod in cod. membr. Mazarineo, seculi X., si credere possumus Achaintrio, utraque satira omnino deest.

Omnibus autem his externis indiciis, quum levia sint et parvi momenti, quia perantiquis, ut postea videbimus, temporibus iam sub Juvenalis nomine circumferebatur utrumque carmen, facile carere possumus, si totam huius satirae indolem spectamus tantopere diversam a ceteris tamque illis indignam, ut nullo modo eundem, quem reliquae, habere possit auctorem.

Argumentum enim in eo versatur, ut saevissimae crudelitatis exemplum ab Aegypti oppido Tentyris contra vicinam Ombitarum gentem perpetratum narretur. Ombitis igitur festum quendam diem hilari coena atque compotatione celebrantibus, Tentyritae, quibus antiqua cum illis simultas erat, quod non eosdem, quos ipsi, colendos arbitrarentur deos, opportunam odio indulgendi occasionem rati, primum rixam excitare, deinde arma capere, imprudentibus, nudatis, vino ciboque oneratis insistere, mox terga vertere coactos persequi. Qua in fuga, quum Ombitarum unus in hostium manus incidisset captum in frusta secant membraque eius corrosis ossibus cruda devorant. Quae omnia horridissimis teterrimisque coloribus depicta necessario in poemate summum nobis taedium excitare debent.

Primis satirae versibus, ut foedam illam narratiunculam introducat poeta, de superstitiosa Aegyptiorum religione disserit, bestias, pisces, plantas venerantium, quibus quum nefas sit porrum ac caepe violare, quum abstineant animalibus, tamen humana carne vesci liceat. Talia miranda quidem esse; mira atque similia Ulixem quoque Alcinoo Phaeacibusque narrasse, sed non digna, quibus fidem habeamus; hoc autem carmine referri vera et nuper demum gesta. Ipsa deinde sequitur flagitii illa narratio, quam talis fere ratiocinatio excipit: naturam quidem mitem tribuisse hominibus animum, dedisse lacrimas in alienorum calamitatibus, dedisse ingenium capax rerum divinarum, artium, amoris, qui coniungat eos ad societatem, ad familiam ,ad civitatem; segregasse nos his facultatibus a bestiis; iam vero auditum esse de populis, qui crudeliore ira, quam illae, in proprium saevirent genus.

Sed quaenam haec satira est? Quo tandem, quaeso, spectat totius carminis argumentum? Anne simpliciter res gestas scripturus erat poeta? Quis est, quin sentiat, quantopere talia a Iuvenalis mente atque consilio abhorreant, quum nullo verbo, nulla sententia id agatur, quod ubique egisse eum videmus, ut civium carpat vitia pravitatesque? Quid enim curabunt ausi hoc facinus Aegyptii Iuvenalem Romae versibus eos perstringentem? An ipsos Romanos admonere sibi proposuit, ne simile committerent flagitium? Ineptam dicis talem admonitionem, tamen profecto non multo melius est, quod de consilio ac ratione huius carminis opinati sunt viri quidam docti, inter quos Rupertius poetam non eo spectasse putat, „ut „religionem vel superstitionem Aegyptiorum derideret, „sed ut insigni ostenderet exemplo, diversitate religionis „huius populi inexpiabile nonnumquam odium et inaudi- „tam inhumanitatem gigni."

Heinrichius contra tecte atque oblique Aegyptiorum cultum magis in dies Romae irrepentem sedesque figentem carpi censet. Quod si statuamus verum esse, sed

non est profecto, tamen admodum inscite atque inepte totum carmen compositum esse, nemo erit, quin libenter concedat, quum e nulla ne minima quidem voce sententiave obliquae eiusmodi significationis vestigium erui possit, neque id omnino fugisse videtur Heinrichium, quippe qui statim addat, satirae finem summumque argumentum longe aliter cecidisse atque exspectaremus. Video nunc, me consentientem in his habere G. I. Vossium, qui inst. poet. III. 9. 7. ita scribat: „idem Iuvenalis sat. XV. etiam „refert, hominem ab homine varie dissectum, aeno coctum „vel assatum atque etiam comestum, quae sane horrenda „nec satirae convenientia; verum recte iam diu monitum „a variis non esse eam Iuvenalis.“ In ultimis sane errare videtur Vossius, sat. XV. permiscens cum sat. XVI., quam scholiastes iam, nescio quis, a plerisque perhibuit explodi; etenim vix credo, ante Vossium quemquam idem de hac satira iudicium fecisse. Errare autem potuit, quum ipsas satiras non inspexisse videatur, in quibus contrarium prorsus narratur [1]). De universa autem satira Vossius sine dubio recte statuit, neque Franckio possum concedere, totum hoc carmen cum satira XVI. ab eo esse confusum. Frustra autem et verbis magis quam rationibus ipse Franckius (p. 103.) illud argumentum defendit hunc fere in modum: „traduci a poeta vanitatem popularium quorundam, qui totum orbem terrarum egregie eo tempore „Graecis Romanisque literis et artibus excultum esse iactarent, quum tamen universum genus humanum tam praeclara illa aetate longius quam umquam ante absit a vero „animi cultu in naturae convenientia ponendo, adeo, ut „serpentum maior iam sit quam hominum concordia.“ Videmus, quemadmodum se torserint, qui in hoc carmine aliquam saltem satiricam artem deprehendi posse arbitrati, nihil tandem inveniunt, quam quod ipsi verbis intulerunt; neque enim populares, quos irrideri putabat Franckius

---

1) Sat. XV. v. 81. nec ardenti decoxit aeno Aut verubus.

ulla voce, ulla sententia tectave notatione indicantur, ut talia possint in mentem nobis venire; neque in summo carmine de universo genere humano, sed de duobus potissimum Ombitarum et Tentyritarum populis dicitur. Quod autem Franckius profert, Horatianam quidem non esse hanc satiram, tamen non abhorrere ab Iuvenalis ratione, alterum sane rectissime vidit, non esse eam Horatianam, quod idem de omnibus Iuvenalis satiris dicere poterat, alterum inepte animadvertit; nam quantopere reliqua Iuvenalis carmina distant ab Horatianis, tantopere haec satira a reliquis illis.

Sed mittamus nunc totius carminis argumentum, quum in spem venerimus, neminem fore, qui iniustam vocet hanc nostram suspicionem, quam mox nova gravissimaque auctam confirmatione, singulis examinatis satirae sententiis, in tuto collocare conabor. Quae priusquam aggrediar, non alienum opinor verba facere de re diu multumque inter viros doctos agitata, de exilio Iuvenalis in Aegypto, quod non modo arte cohaerere cum suspecto hoc carmine, verum etiam totum ex illo pendere demonstrabo.

Exulasse Iuvenalem, semper ex conspirante multarum, quae ad nos pervenerunt, vitarum auctoritate pro certo constare videbatur. Omnes enim in eo consentiunt, poetam ab imperatore quodam, nominantur autem diversi, Nero, Domitianus, Traianus, propter nonnullos versiculos irato in exilium missum esse, quod scholiis quoque confirmatur ad sat. I, 1. IV, 38. VII, 92. XV, 27.

Sed neque magnus illarum vitarum numerus ullam huius exilii fabulae affert fidem, quum omnes ex uno promanasse fonte vel inde conici liceat, quod una ex altera, ut iam levis earum comparatio docet, ad verbum plerumque exscripta est, ita tamen, ut scriptor suo arbitrio, quae vellet, et adderet et demeret; neque primaria haec vita, quae inter ceteras ex illa ortas ad nos pervenisse videtur, maioris est momenti, quum omnia, quae referuntur, illinc hausta esse demonstrari queat, unde et nobis eadem

sumere licebat, ex ipsis poetae carminibus. In iis autem rebus, quas addiderunt illarum vitarum scriptores, quaeque non ex ipsis satiris cognosci possunt, quisque, suo indulgens ingenio suisque coniecturis, tot absona protulit, tot aperte falsa, ut omnia illa commenta indigna sint, quibus magis credamus quam nobismet ipsis.

Omnium vitarum antiquissimam eam esse, quae posita est ante scholia, a Georgio Valla primum edita Proboque grammatico, ab aliis Suetonio, nescio, quo iure, tributa [1]), quum ex toto dicendi genere, tum ex eo apparet, quod qui novi errores ineptiaeque in reliquis vitis deprehenduntur, ex hac facile habent explicationem [2]). — Reliquae sunt: 2) vita, quae falso Aelio Donato ascribitur, apud Rup. vol. I, p. XII; 3) vita e codice Kulencampiano descripta, ap. Rup. ibidem. 4) vita e codice Omniboni Leonicensis, ap. Achaintr. vol. I. p. 3. 5) vita e Scriverii codice ap. Th. Crenium anim. philol. et hist. p. XIII. p. 12. Omitto autem vitas a Ioanne Malela et Suida conscriptas, (de quibus uberius egit Franckius p. 28 sqq.), quia ne ipsae quidem novi quidquam praebent, vitam e codice Schurzfleischii (in eius praef. spicil. anim. in Iuv. sat.) et aliam incerti auctoris ap. Achaintr. vol. I, p. 4, quae omnino Iuvenalem exulasse negat, quum nullam temporis paulo antiquioris speciem prae se ferant.

Iam igitur ad contemplandas has vitas, ne iniquius videar de iis statuisse, accedamus, et ita quidem, ut profecti ab ea, quam primo loco nominavi, ceterarum differentias exhibeamus et, unde quaeque orta sint, perscrutemur.

---

1) Cf ed. Heinr. vol. I. p. 155.

2) Non fuisse Suetonianam hanc vitam concludi potest et ex multis, quae in ea relinquuntur incerta („libertini locupletis incer„tum filius an alumnus"), et ex nugis quibusdam, quae omnia a Suetonio, Iuvenalis aequali, non potuerunt proficisci. Ceterum Suetonium numquam Iuvenalis vitam scripsisse, probabile saltem reddidit Franckius (l. l. p. 8 — 12.).

Incipit ergo vita 1. „Iunius Iuvenalis libertini locupletis incertum filius an alumnus, ad mediam fere aetatem declamavit animi magis causa, quam quod scholae aut foro se praepararet.“ Sententiam illam, „ad mediam fere aetatem declamavit,“ apparet sumptam esse ex sat. I. v. 15 „Et nos Consilium dedimus Sullae, privatus ut altum Dormiret.“ Inde etiam, quod poeta tamquam de re loquitur in adulescentia tractata, sed postea omissa, et quia omnino videbat, eum ad poeticen se contulisse, vitae scriptor additamentum illud videtur commentus esse, „animi magis causa, quam quod cholae se aut foro praepararet,“ quod reliquae vitae omittunt. Quibuscum artissime cohaeret vit. 3. M. (D?) „Iunius Iuvenalis ex municipio Aquino, ordinis, ut fertur libertinorum, Romae literis operam dedit; declamavit non mediocri fama, ut ipse scribit: Et nos consilium dedimus Sullae.“ Addita sunt praeter commenticium illud „non mediocri fama“ de Iuvenalis patria quaedam, quae potuerunt comperta habere librarii tum e librorum mss. titulis, tum ex ipsa sat. III. v. 310. „quoties te Roma tuo refici properantem reddet Aquino, etc.“ Tamen schol. ad sat. I. 1. narrat, „Iuvenalem aliqui Gallum propter ingentem corporis magnitudinem, aliqui Aquinatem dicunt,“ ridiculo errore, quum luce clarius pateat, quod Franckius recte monuit, Aquinatem et Aquitanum esse permixtos. Egregie iam vit. 3. haec refert: „Iuvenalis iste Aquinatis fuit, id est ex Aquinio oppido, temporibus Neronis Claudii imperatoris (quem ex vit. 1. desumpsit). Prima aetate siluit, ad mediam ferme aetatem declamavit, unde et quasi diu tacuit;“ quae mira de poetae taciturnitate narratiuncula haud dubie ex primo Iuvenalis versu orta est. „Semper ego auditor tantum? numquamne reponam etc.?“ Eodem modo vit. 5.: „nomen Iuvenalis proprium illi; fuit enim de Aquino oppido. Prima aetate tacuit, media declamavit;“ et vita 4.: „quum ex Aquino municipio Romam se contulisset et venisset sua virtute

„ad equestris dignitatem, ad mediam ferme aetatem de-„clamavit." De equestri Iuvenalis dignitate, quum cohaereat cum tota illa de poetae exilio munereque militari fabula, postea demum disserere possumus. Iam nescio profecto, quaenam indicia quaeque argumenta magis confirmare atque in tuto collocare possint omnia de vitarum illarum ratione ac natura supra a me praemissa. Sed non dum dixi de eo, quod vit. 1. de poetae condicione proditum est, „libertini locupletis incertum filius an alumnus," et vit. 3. „ordinis, ut fertur, libertinorum." Iam ipsa autem hac dubitatione, nihil certum de poetae parentibus vitarum scriptoribus constitisse perspicitur. Id vero ineptissimum et sine dubio a vitae auctore fictum est, locupletem fuisse Iuvenalem, quum in quavis satira, etiamsi de aliis hominibus loqui videtur, aperte mediocrem vitae suae condicionem prodat ipsumque se inter pauperes ubique numeret, quibus propter divitum avaritiam superbiamque multae tolerandae sint iniuriae[1]). Quam ob causam suspicio mihi nascitur consideranti miram levitatem temeritatemque, qua omnes compositae sunt vitae, fluxisse has ineptias ex sat. I. v. 100.: „nam vexant limen (divitum) „et ipsi Nobiscum. Da praetori, da deinde tribuno. Sed „libertinus prior est, prior, inquit, ego adsum," et paulo post: „ego possideo plus Pallante et Licinis;" quae a cohaerente narratione separata parum diligentibus librariis facile huiusce commenti ansam praebere potuerunt.

Iam vero accuratius et subtilius erit inquirendum, ut e narrationum, quae sequuntur, complexu singularum rerum fontem detegamus. Pergit enim vit. I. „Deinde pau-„corum versuum satira non absurde composita in Paridem „pantomimum poetamque Claudii Neronis, eius semestri-

1) Qua de re cf. sat. I. v. 36. 74. „probitas laudatur et alget" v. 100, omnesque querelas, quas sat. III. sub Umbricii persona profert maximeque inde a v. 125. sat. V. plur. loc. sat. VII. 60. sqq. 155. sqq. 194. etc. etc.

„bus militiolis tumentem, genus scripturae industrie exco-„luit. Et tamen bene diu ne modico quidem auditorio „quicquam committere est ausus. Mox magna frequentia „magnoque successu bis ac ter auditus est, ut ea quoque, „quae prima fecerat, inferciret novis scriptis:

Quod non dant proceres, dabit histrio. Tu Camerinos
Et Bareas, tu nobilium magna atria curas.
Praefectos Pelopea facit, Philomela tribunos.

„Erat tum in deliciis aulae histrio multique fauto-„rum eius quotidie provehebantur. Venit ergo Iuvenalis in „suspicionem, quasi tempora figurate notasset, ac statim „per honorem militiae, quamquam octogenarius, urbe sum-„motus missusque ad praefecturam cohortis in extrema „Aegypti parte tendentis." Quae omnia primo certe aspectu perantiquis niti videntur testimoniis, quum nulla statim causa inveniatur, cur tam singularia finxerit vitae scriptor; sed huius quoque, ni omnia me fallunt, mirae fabulae originem perspexisse mihi videor. Namque, quum et res, quae narrantur sat. XV., et unus maxime versus 45 „quantum ipse notavi," poetam ipsum in Aegypto fuisse probare viderentur [1]), quid simplicius, quid veri similius comminisci potuit scholiastes, nam talis erat vitae auctor, quam satiricum poetam, quippe qui ne a summis quidem umquam se abstinuerit rei publicae viris, offendisse principem quendam et ab eo irato missum esse in exilium. Iam versus quaerendi erant, qui severae illius poenae causam praebuissent. Invenerunt alii alios. Sic scholiastes, nescio quis, ad sat. IV. 38.

Quum iam semianimum laceraret Flavius orbem
Ultimus et Calvo serviret Roma Neroni, etc.

adnotavit: „Hoc convicium in Fl. Domitianum, Titi fra-„trem, Vespasiani filium, iactat, qui calvus fuit, ut Sueto-

---

1) Quare etiam scholiastes quidam ad sat. XV. 27. adnotavit: „De se dicit Iuvenalis, quia in Aegypto militem tenuit, et ea promittit se relaturum, quae ipse vidit."

„tonius refert. Propter quod Iuvenalis sub specie hono„ris relegatus est ad cohortis curam in Aegypto Hoasa, „ubi mortuus est." Huius autem vitae scriptori magis placuerunt sat. VII. vv. 89 et sqq. „Quod non dant pro„ceres etc." Quo facto, quum his versibus Paridem, Neronis pantomimum perstringi videret, fieri autem non posse intellegeret, ut a Nerone in exilium missus esset poeta, qui postea Romae versaretur, in dubio relinquens, quisnam imperator illis versiculis offensus sit, perquam scite novam finxit historiolam, quae mederetur huic temporum discrepantiae. Narrat igitur tres illos versus, in Paridem pantomimum poetamque Claudii Neronis, eius semestribus militiolis tumentem [1]) compositos, primos fuisse, quos omnino fecisset Iuvenalis. Sed, quum ausus non esset, parvam hanc trium versuum satiram ne modico quidem auditorio committere, eum diu nihil de hac re in medium protulisse, „donec, magno successu bis ac ter auditus, ea „quoque, quae prima fecisset contra Paridem, inferciret „novis scriptis." Fuisse autem eo tempore in deliciis aulae histrionem quendam multosque eius fautores quotidie esse provectos, quapropter venisse Iuvenalem in suspicionem, „quasi tempora figurate notasset ac sta„tim per honorem militiae urbe summotum missumque „ad praefecturam cohortis in extrema parte tendentis „Aegypti." Ineptissime tum desinit narratiuncula: „id „supplicii genus placuit, ut levi atque ioculari delicto „par esset." Iam, si quid iudico, originem mirae illius et per se parum probabilis fabulae cognovimus. Ceterae autem vitae ex hac ortae eandem rem iisdem saepe ver-

---

1) Desumpta haec sunt e verbis Iuvenalis VII. 88. non recte intellectis

Semestri vatum digitos circumligat auro.

itemque, quod poeta nominatur Paris ex hac Iuvenalis satira VII. translatum esse debet, quo tamen errore nescio. Memorabilis certe multorum codd. scriptura „poetamque P. Statium," qui paulo ante v. 83. erat commemoratus.

bis referunt, nisi quod, quum in prima vita imperator, qui expulerit Iuvenalem, nominatus non esset, alii inepte etiam hanc rem ad Neronem retulerunt, alii, qui hoc fieri non posse intellegebant, alium imperatorem quaesiverunt et variis de ea re coniecturis indulserunt. Sic Neronis nomen retinuit vit. 2.: „Fecit quosdam versus in „Paridem Pantomimum, qui tunc temporis (Claudii Ne-„ronis, nam is paulo ante erat nominatus) apud impera-„torem plurimum poterat. Hac de causa venit in su-„spicionem, quasi istius tempora notasset. Sic „obtentu militiae pulsus urbe etc." Eodem modo vit. 5.: „Temporibus Claudii Neronis imperatoris pri-„mumque in Paridem pantomimum imperatoris, qui fau-„tores multos habebat hos versus edidit „Quod non „dant proceres, dabit histrio," propter quos ver-„sus publice ab imperatore damnatus et urbe pulsus est." Domitianum intrusit vit. 3.: „Extremis Domitiani tempo-„ribus missus in exilium expertus est, quantum unius hi-„strionis ira valeret," Traianum vit. 4.: „In Paridem pan-„tomimum, qui in deliciis apud Traianum imperatorem „habebatur, primo carmina edidit, quae postea inseruit „in eam satiram: „Et spes et ratio"

Quod non dant proceres, dabit histrio: tu Camerinos
Et Bareas, tu nobilium magna atria curas.
Praefectos Pelopea facit, Philomela tribunos.

„quibus Traianus intellegens vitia carpi sui temporis, ira „percitus praetextu honoris hoc modo poetae mor-„tis instruendae opportunitatem invenit. Fecit eum prae-„fectum militum et q. sqq." Pars huius vitae posterior aliter legitur in codice quodam Mediolanensi, ubi lepidus, nescio quis, librarius, ex ipsis Iuvenalis verbis opportunitatem facetiis suis indulgendi nactus, haec scripsit: „sed tamen paulo post (imperator), ut sciret, iratum sibi esse principem, in codicillis suis ad eum in „exercitum mittendis inseruit „Et te Philomela pro-„movit."

Locum exilii, quum vit. 1. extremam Aegypti partem nominasset, qui plus sapere sibi visi sunt, accuratius definituri, alii Oasin alii Pentapolin etc. exhibuerunt, inepte, ut Franckius iam docuit; sed ne primaria quidem vita ex alio fonte quidquam compertum habuit, quam ex sat. XV., quod prodidisse fere videtur vitae in Schurzfleisch. cod. membr. auctor, qui dicit: „Iuvenalis sub Do-„mitiano Augusto claruit, a quo est in Aegyptum mis-„sus; dicit namque in satira penultima:

Nos miranda quidem, sed nuper consule Iunco (Iunio)
Gesta super calidae referemus moenia Copti.

„per quod comprehendi potest satis idonee, ipsum navi-„gasse in Aegyptum." Nihilo secius alius etiam longe diversus exilii locus commemoratur in vit. 4.: „Traianus „ira percitus praetextu honoris hoc modo poetae mortis „instruendae opportunitatem invenit. Fecit eum praefe-„ctum militum contra Scotos, qui bellum Romanis move-„rant, ibi ut Iuvenalis interficeretur." Nimis audacem puto Franckii coniecturam, Scotorum commemorationem profectam esse e v. 112. sat. XV.: „De conducendo lo-„quitur iam rhetore Thule;" sed, quum semel pervagata erat exilii fama, de loco facile oriri potuit dissensio, idque magis impugnat quam defendit fidem illis vitis habendam. Ceterum Iuvenalis temporibus nondum erant Scoti, sed Caledonii, quum illi Claudiani primum aetate commemorentur.

Neque occultius latent, quae de militari poetae munere narrat vit. 1., quaeque ad verbum fere descripserunt reliquae. Dicit enim vit. 1.: „Statim per honorem „militiae, quamquam octogenarius, urbe summotus mis-„susque ad praefecturam cohortis in extrema Aegypti parte „tendentis;" vit. 2.: „sic obtentu militiae pulsus „urbe;" vit. 3.: „Exulavit in Aegypto sub specie ho-„noris;" vit. 4.: „Traianus ira percitus praetextu ho-„noris — — fecit eum praefectum militum;" vit. 5.: „Roma pulsus est, et quasi sub obtentu militiae de-

„vectus esset cum cohorte militum tendentium [1]) ad „Aegyptum, laudat ultima satira studium militare." Iam ultimis hisce verbis causa et origo totius narratiunculae patet, satira XVI., quae militiae praemia ac emolumenta ita exponit, ut primo certe aspectu ab homine militari quodam munere fungente profecta esse videri possit. Quo accedit, quod, quum praefectos et tribunos notasset poeta ab histrione provectos, et ipsum cohortis praefectura punisse videtur lepidus vitae auctor, „ut levi atque ioculari „delicto par esset," quae vitae primae verba, licet inepta, non possum cum Franckio ab alio librario adsuta putare.

Maior est de Iuvenalis morte inter vitas illas dissensio, ita tamen, ut ceteras ex vita 1. ortas esse luce clarius perspici possit. Vit. 1. enim in dubio videtur relinquere, utrum redierit in patriam an in exilio defunctus sit, quum dicat, eum, quamquam octogenarium urbe summotum esse, et statim addat „verum intra brevissimum „tempus angore et taedio periit." Ex hac primum desumpsit scriptor vitae 2.: „tandem, quum Romam veni„ret et Martialem suum non videret, ita tristitia et an„gore periit anno aetatis suae altero et octuagesimo." Inculcavit doctus hic librarius Martialem, cuius ex epigrammatis (cf. VII. 24. etc.) constaret, eum Iuvenalis fuisse amicum. Contra in Aegypto morientem finxit poetam vit. 3.: „Exulavit in Aegypto nec inde a novis principibus revo„catus est. In exilio ampliavit satiras et pleraque mu„tavit invehiturque in cineres Domitiani (sat. IV. 37.). „Decessit longo senio confectus exul Antonino Pio im„perante." Vit. 4., quae finxerat, eum praefectum fuisse „cohortis contra Scotos, „Ex quo effectum est, ut poeta „animo consternatus ex mentis aegritudine simul obiit." (sic)

---

1) Auctor huius vitae ne intellexisse quidem videtur vitae 1. verba, quae exscripsit, quum „tendere in Aegypto" de iis dicatur, qui stationes ibi habent, „tendere ad Aegyptum" de iis, qui eo proficiscuntur.

Unum restat, ut dicam de aetatis notatione, quae invenitur in vita 1., Iuvenalem octogenarium fuisse, quum urbe summoveretur, quod certe ex aliis fontibus hausisse videri potest vitae scriptor. Sed non est ita; postquam enim in omnibus huius quoque vitae narrationibus ficta cognovimus atque commenticia, neque quidquam veri, nisi quod ex ipsis carminibus iam constat, vix credo nos vituperatum iri, quod his quoque verbis fidem abrogamus, praesertim quum, qui arbitrarentur, Iuvenalem Neronis iam temporibus scripsisse et sat. XV. 27. consulem Iunium (Rusticum a. u. 872?) commemoratum animadverterent, non bene minorem exhibere possent poetae aetatem.

Iam, quum sit apertum, non potuisse ante Hadrianum in exilium mitti poetam, quod unum certissime ostendit Franckius libro in ceteris saepe molesto ac supervacua repleto doctrina; si non improbamus, quod veri simile saltem reddidit idem Franckius, Iuvenalem omnino numquam exulasse; si consideramus totam istam fabulam ab omni veri similitudine tam longe abhorrentem, poetam, rhetorem, senem in extremas Aegypti partes missum esse, ut ibi cohortis susciperet praefecturam; denique quum cernamus, quantopere omni fide careant istae vitae, quarum plerasque ex una descriptas esse, additis tantum novis quibusdam ineptiis, illam unam autem, antiquis plane destitutam fontibus, ex ipsis Iuvenalis carminibus modo his, modo illis arreptis compositam esse demonstraverim [1]), cur tandem non illam quoque totius exilii narratiunculam ex satira XV. ortam esse putemus, ad cuius v. 27. iam vetus quidam scholiastes haec addat: „de se dicit Iuvenalis, quia in Aegypto militem tenuit, et ea promittit se „relaturum, quae ipse vidit?“ Qua de causa cadant una et vana de exilio Aegyptiaco fabula et spurium illud car-

1) Feci, quod Franckii erat; in eo enim argumento omnis de illis vitis quaestio versari debebat. Sic autem tota eius disputatione non multum proficimus.

men satirae Iuvenalisque nomine prorsus indignum; quo facto omnes etiam difficultates ex utraque re profectae, quae mirum in modum viros doctos vexarunt, levi opera possunt removeri.

Non sum nescius, ipsis perantiquis iam temporibus et satira illius XV. auctorem habitum Iuvenalem et historiolam de exilio et militari eius dignitate fuisse pervagatam, quod magis Apollinaris Sidonii quidam versus (carm. IX. 272.) probant, haud dubie ad Iuvenalem referendi:

Nec qui consimili deinde casu
Ad volgi tenuem strepentis auram
Irati fuit histrionis exul.

quam Servius, qui ad Aen. II. 540. sub Iuvenalis nomine laudat hanc satiram, quum foede eum ubique interpolatum esse constet. Nihilo secius persistendum in sententia nostra, quam ultima hac disputationis parte, in singulorum versuum contemplatione versante, in tuto collocari posse confido.

Inveniuntur primum in hoc carmine duae digressiones, quae aut epicae aut elegiacae tantum poesi accommodatae, et in his ab Alexandrinis maxime poetis excultae, in satira nullum prorsus locum habere possunt, quae, quum omnem orationis nexum misere et languide interrumpant, longe abhorrent a Iuvenalis mente, quae denique insertis quibusdam nugis nulla ratione cum reliqua horrida dirissimae crudelitatis narratione coeunt. Harum prima est:

Attonito quum
Tale super coenam facinus narraret Ulixes
Alcinoo, bilem aut risum fortasse quibusdam
Moverat, ut mendax aretalogus. In mare nemo
Hunc abicit, saeva dignum veraque Charybdi,
Fingentem immanes Laestrygonas atque Cyclopas?
Nam citius Scyllam vel concurrentia saxa
Cyaneis, plenos et tempestatibus utres
Crediderim, aut tenui percussum verbere Circes

Et cum remigibus grunnisse Elpenora porcis.
Tam vacui capitis populum Phaeaca putavit?

Quibus, antequam adortus est caput illius narratiunculae, id voluit poeta, ut demonstraret, similia iam antiquis temporibus memoriae esse tradita, pleraque tamen ficta et fide non digna. Sed quaenam sunt istae ambages ad simplicissimam rem declarandam, non minus longae quam ieiunae et aridae? quod sensisse quodammodo videtur ipse scriptor, quum ridicule addat:

Sic aliquis merito nondum ebrius et minimum qui
De Corcyraea temetum duxerat urna:
Solus enim hoc Ithacus nullo sub teste canebat.

Talia autem non sapere Iuvenalem, vix erit, quin, si paululum modo versatus est in hoc poeta, intellegat. Ceterum ne in his quidem nugis accuratus est scriptor, quum non recte illius fabulae apud Homerum [1]) meminisse videatur. Etenim illic non una cum ceteris Ulixis sociis Elpenor mutatur in suem, sed in Circes aedium tecto quum obdormisset, inde lapsus moritur.

Non aliter sese habet res in altera digressione:

Ergo acrior impetus, et iam
Saxa inclinatis per humum quaesita lacertis
Incipiunt torquere, domestica seditioni
Tela; nec hunc lapidem, quales et Turnus et Aiax,
Vel quo Tydides percussit pondere coxam
Aeneae; sed quem valeant emittere dextrae
Illis dissimiles et nostro tempore natae.
Nam genus hoc vivo iam decrescebat Homero;
Terra malos homines nunc educat atque pusillos;
Ergo deus, quicumque aspexit, ridet et odit.
A diverticulo repetatur fabula.

Et hoc loco verba per se fortasse bona sunt et haud inficeta, sed in hoc carmine, cui nulla nec inest, neque, argumentum si consideres, inesse potest festivitas, molesta ac fastidiosa. Quare nulla alia de causa videntur

1) Od. X. 552. sqq. XI. 51. sqq.

scripta, quam ut doctrinam suam scientiamque Homeri lectione comparatam ostenaret scholasticus ille, qui poetam se gerit.

Alii duo sunt loci, quos quamvis vix digressiones nominaveris, quum tamen eo similes sint prioribus, quod uterque orationis nexum prorsus dirimit atque interrumpit, his subnectere haud alienum dixi. Dictum enim est in praecedentibus:

Sed tempore festo
Alterius populi rapienda occasio cunctis
Visa inimicorum primoribus ac ducibus, ne
Laetum hilaremque diem, ne magnae gaudia coenae
Sentirent, positis ad templa et compita mensis
Pervigilique toro, quem nocte ac luce iacentem
Septimus interdum sol invenit.

Iam sequitur languidissima ac molesta exclamatio:

Horrida sane
Aegyptus! sed luxuria, quantum ipse notavi
Barbara famoso non cedit ripa Canopo.

Et tum ad orationem redeunt versus:

Adde quod et facilis victoria de madidis et
Blaesis atque mero titubantibus.

Ne multus sim, in eo certe laudandi sunt Franckius eumque secutus Heinrichius, quod perspexerunt atque exposuerunt istas ineptias, non in eo, quod pii monachi putarunt interpolationem verba inde ab „Horrida“ usque ad „titubantibus“, quam permultis artificiis adhibitis nequaquam veri similem reddidit Franckius p. 107., etiamsi in tota sententia facile iis carere possumus, quod perperam negant Pinzger, (de verss. spurr. et male suspectt. in Iuv. sat.) Orellius, C. O. Mueller, (Goett. gelehrte Anz. 1822. p. 852)[1]. Magnopere autem miror, quod merae istae pessimi poetae nugae summos viros nactae sunt

---

1) Alii autem versus, quos spurios iudicavit Franckius (in altera, ut videtur, de Iuvenalis vita disputatione. Dorp. 1827. quam ad manum non habui), consentiente Heinrichio:

defensores, eundem C. O. Muellerum, indignantem vere pulcros atque egregios versus iterum iterumque „monasti-„cos versiculos versificatorisque emblemata“ dici, et Orellium, qui, quum perhibuisset, similes digressiones ubique occurrere in Iuvenalis satiris, plane „gemella“ duo affert exempla, in quibus concedo eadem reprehendi et posse et debere; sed ex ipsa hac repetita satira XV. vv. 65—72, de quibus iam dictum est, et v. 86, de quo postea sum disputaturus, haud dubie, quia in omnibus genuinis Iuvenalis carminibus similia non inveniuntur. Itaque retineo hos versus, qualescumque sunt [1]), credo autem, poetam iactare sese lectoribus remotae barbaraeque terrae perlustratione, quum non hoc modo loco, verum saepissime multa importune ac praepostere narrationi inferciat, quae accuratam Aegypti gentium earumque morum cognitionem simulant, sed aut aperte falsa aut ineptissima sunt. Sic, quum dicat:

Qua nec terribiles Cimbri, nec Britones umquam
Sauromataeque truces aut immanes Agathyrsi,
Hac saevit rabie imbelle et inutile volgus,
Parva fictilibus solitum dare vela phaselis
Et brevibus pictae remis incumbere testae.

Summus utrimque
Inde furor volgo, quod numina vicinorum
Odit uterque locus, quum solos credat habendos
Esse deos, quos ipse colit. Sed —

nullo modo omitti possunt. Illis enim eiectis nulla omnino causa ponitur, unde tantum odium inter illos populos exarserit, ut tam immane facinus committerent.

1) Sic etiam explicatio vv. 45. 46. „sed luxuria, quantum ipse „notavi, Barbara famoso non cedit ripa Canopo“, non sine poetae quadam culpa omnes fere vexavit interpretes, qui, quum Aegyptus et Nili ripa horrida dicatur, sed luxuria non inferior famoso Canopo, et ipso in Aegypto apud Nili ostium sito, coniecturis emendationem quaesiverunt, sic Schrader, Rupert., alii. Sed in his nihil haud dubie mutandum est, dummodo statuamus, a poeta obscuriore tamen oratione, barbaram Nili ripam oppositam esse Canopo, omnibus Graecis morum illecebris repleto, quod recte animadvertit Orellius.

qui, quaeso, cohaerent fictiles phaseli brevesque remi cum immanitate ac rabie Aegyptiorum? An forsitan dissimilium rerum conjunctione eo majorem motum in lectorum animis erat excitaturus, ultimis his verbis mollitiem notans et imbecillitatem illorum populorum? Rupertii et Heinrichii haec est sententia; equidem vero mollitiem in eo, quod fictilibus navigiis brevibusque utebantur remis, perspicio nullam, sed navigandi artem, qua omnino insignes erant Aegyptii. Id igitur utrum in mente habuerit poeta, nescio, neque ex his verbis possum concludere; si habuit, absurde egit, quum aut aliud quodvis eligere liceret mollitiei indicium, aut, hoc ipso retento, apertius loqui. At sic etiam vereor, ne bonam voluntatem subiciam scriptori, qui nihil fortasse quaesiverit, quam doctam Aegyptiorum nominis circuitionem, ineptam invenerit.

Aliis quibusdam locis, ubi de Aegypto loquitur, non valde curans rerum veritatem, tot falsa protulit, ut merito iam possis dubitare, num ipse hanc terram umquam viderit. Quum enim incipiat carmen:

> Quis nescit, Volusi Bithynice, qualia demens
> Aegyptus portenta colat? Crocodilon adorat
> Pars haec; illa pavet saturam serpentibus ibin.
> Effigies sacri nitet aurea cercopitheci,
> Dimidio magicae resonant ubi Memnone chordae
> Atque vetus Thebe centum iacet obruta portis.
> Illic aeluros [1]), hic piscem fluminis, illic
> Oppida tota canem venerantur, nemo Dianam.

ut praeteream, quod post crocodilorum, simiarum, felium, piscium, canum, quos Aegyptii coluerint, commemoratio-

---

1) Dedi v. 7. „aeluros" ex coniectura Brodaei et H. Valesii, quum libri omnes habeant „illi caeruleos" vel „illic caeruleos". Vereor enim, ut dici possit „caeruleos" pro piscibus marinis, ita ut fluminis piscibus opponantur, quod voluerunt nonnuli. Praeterea nusquam proditum est, Aegyptios marinos pisces esse veneratos, feles autem coluisse deos narrant Herod. II. 66. Plut. de Iside et Osir. p. 376. ceterique, quos Rupert. laudat.

nem languidius paulo sequitur „nemo Dianam“[1]) id tantum urgeo, quod alii iam ante me monuere, ne satis verum quidem esse, Aegyptios Dianam non coluisse deam, quum notissimus sit Dianae cultus in urbe Bubasti (cf. Ovid met. IX. 691 sqq. Iablonsk. Panth. Aegypt. II, 3.). Sed haec quoque levia, si sequentia spectas. Omnis enim illa inter Ombitas et Tentyritas pugna intellegi tantum potest, si vicina fuisse eorum oppida statuamus, quod ipse poeta dicit:

Inter finitimos vetus atque antiqua simultas,
Immortale odium et numquam sanabile volnus
Ardet adhuc Ombos et Tentyra. Summus utrimque
Inde furor volgo, quod numina vicinorum
Odit uterque locus, etc.

sed illas gentes non modo Nilo flumine, verum etiam quinque nomis inter se distare, egregie primus exposuit Salmasius (exercit. Plin. p. 318. sqq. cf. Heinr. ad h. l.), quos, ne mulus sim, possum laudare. Itaque ridicule sane Pinzger, qui Iuvenalem, ut putat, defensurus, haec fere in medium protulit: „poterat“, inquit, „procul dubio, quum octogenarius venerit in Aegyptum, neque, „ut videtur, locorum in iis regionibus sitorum magnopere „curiosus fuerit, Tentyritas et Ombitas finitimos vocare, „quum nonnisi ad trigesimum lapidem inter se distent, „neque inter utrumque oppidum aliud maioris momenti „situm sit“. Potuit sane id facere, potuit etiam, quod Orellius suspicatus est, confundere Ombitas cum propriore quadam Tentyritis gente; sed id ipsum vitupero. Quin tantus est error, ut ab eo, qui Aegyptum, ut hic homo videri vult, ipse adisset, committi non potuisset.

Aliarum autem sententiarum, quae quum absurdae,

---

1) Non me fugit, posse quodammodo defendi Dianam hoc loco intrusam propter canem perpetuum huius deae comitem paulo ante commemoratum; tamen semper languidi aliquid remanet, quod removeri nequit.

tum ab omni poesi prorsus alienae sunt, tanta copia in hoc carmine invenitur, ut, ne nimius sim in re per se iam molesta atque iniucunda, ea tantum in medium afferre necessarium ducam, quae apertissime opinionem meam comprobant. Videamus igitur vv. 35 — 42.

> Summus utrimque
> Inde furor volgo, quod numina vicinorum
> Odit uterque locus, quum solos credat habendos
> Esse deos, quos ipse colit. Sed tempore festo
> Alterius populi rapienda occasio cunctis
> Visa inimicorum primoribus ac ducibus, ne
> Laetum hilaremque diem, ne magnae gaudia coenae
> Sentirent, positis ad templa et compita mensis,

In his primum neglegentia, quae totam priorem carminis partem perturbat atque obscurat multumque homines doctos vexavit, reprehendenda est. Quum enim antea Ombitas et Tentyritas commemorasset poeta, et v. 39. pergat „alterius populi", nemo perspicere potest, utram potissimum gentem intelligi voluerit; quo sane tantopere non offenderemur, nisi in sequentibus modo de hac, modo de illa, modo de utraque parte locutus aperte eluderet lectores. Dicit enim v. 48. „inde", v. 51. „hinc", quae non habent, quo referantur; iam vero post triginta fere versus sequitur „altera pars" (v. 73.), de iisdem illis, ut ex totius proelii eventu conicere possumus, qui supra v. 39. significati erant verbis „alterius populi". E versu denique 76, Ombitas terga vertisse, Tentyritas instare trepidantibus apparet; egregia scilicet et digna, quam imitemur, descriptio!

Sed redeamus ad rem nostram; dicendum est enim de sententiarum ratione. Iam, quaeso, quae et quam mira haec est perversitas, quod, quum multis versibus id egerit poeta, ut eo graviorem demonstraret Aegyptiorum foeditatem, quia universus populus illud flagitium commiserit:

> Nos volgi scelus et cunctis graviora cothurnis (referemus),
> Nam scelus, a Pyrrha quamquam omnia syrmata volvas,
> Nullus apud tragicos populus facit etc.

hoc loco totius flagitii causam initiumque in primores tantum ac duces illius populi derivat? quo tantus nascitur sententiae languor, ut alterutrum haud dubie fuisset omittendum. Nihilo minus praestantissimos putat hos versus Heinrichius.

In pugnae autem, quae paulo post sequitur, descriptione tantopere ineptit atque insanit poeta, omnem iusti pulcrique modum excedens, ut, quid invenustius sit, quid foedius, ne cogitari quidem possit. Dicit enim:

Haec tuba rixae.
Dein clamore pari concurritur et vice teli
Saevit nuda manus: paucae sine vulnere malae;
Vix cuiquam aut nulli toto certamine nasus
Integer; aspiceres iam cuncta per agmina voltus
Dimidios, alias facies et hiantia ruptis
Ossa genis, plenos oculorum sanguine pugnos;
Ludere se credunt ipsi tamen etc.

Quae quum omnia sint absurdiora, quam de quibus verbum addamus, tamen unus iam v. 55. affatim comprobat, scriptorem adeo caruisse omni poetico ingenio, ut omnino tacere satius fuisset.

Sequuntur plures deinceps sententiae tam insulsae ac praeposterae simulque tam singulares atque admirabiles, ut similia exstare exempla vix credam. Cui enim, nisi qui nihil prorsus sapit, ubi de foedissimo scelere narratur hominis hominem interficientis crudumque devorantis cadaver, in mentem venire potest perridicula haec sententia, quae tamen admodum poetae videtur placuisse:

Hic gaudere libet, quod non violàverit ignem,
Quem summa coeli raptum de parte Prometheus
Donavit terris.

Tum ad Volusium Bithynicum, ad quem scripta est satira, conversus pergit:

Elemento gratulor, et te
Exultare reor!

O singularem illam religionem, quae in dirissimae foeditatis exemplo tamen, quo gaudere possit, invenerit!

Quid enim refert, si et ridiculum et longius arcessitum est illud gaudium? Vellem autem, ne Orellius piam hanc exclamationem, quam ipse nimis frigidam antea dixerat, Ovidii verbis (metam. X. 305.), similis, ut putat, coloris defendere temptavisset:

Gentibus Ismariis et nostro gratulor orbi;
Gratulor huic terrae, quod abest regionibus illis,
Quae tantum genuere nefas!

quae verba nihil demonstrant, nisi scitiorem elegantioremque fuisse Ovidium, quam miserum hunc poetam. Magis etiam isti nugarum pleni versus torserunt Rupertium, qui modo „δεινῶς et facete“ scriptos, modo languidos, deinde nimis doctos, postremo autem egregios appellat, dummodo Volusium veterum philosophorum, qui igne totum mundum regi, animari, lustrari doceant, opinione imbutum derideri putes. Sed missa faciamus haec, ut ad maiorem etiam transgrediamur vesaniam. Sequuntur versus:

Sed qui mordere cadaver
Sustinuit, nil umquam hac carne libentius edit.

Mira profecto sententia! an vera, nescio; sed qui poeta talia versibus potuit mandare, invita Minerva carmina pepigit. Neque minus foede, quae sequuntur, procedunt, namque ineptias excipiunt ineptiae:

Nam scelere in tanto ne quaeras et dubites, an
Prima voluptatem gula senserit. Ultimus autem
Qui stetit, absumpto iam toto corpore, ductis
Per terram digitis, aliquid de sanguine gustat.

Et omnino etiam poetae, postquam de egregiis illis cupediis dixit, nulla alia sententia videtur placuisse, quam quae illuc spectat, quare, ubicumque potest, plerumque iisdem verbis, raro paululum immutatis, ingerit eam et inculcat ad satietatem usque; sic v. 93. „Vascones — alimentis talibus olim produxere animas;“ vv. 97 et 98. „Huius enim, quod nunc agitur, miserabile debet Exemplum esse cibi;“ vv. 170 et 171. „pectora, brachia, vultum crediderint genus esse cibi. etc. etc.“

Multa praeterea huc adnumeranda sunt, quae de sententiarum perversitate antea iam disserui, multa, quae intacta reliqui et leviora et facillime obvia, si quis, exhibitis a me versibus nondum contentus, magna demum exemplorum copia comprobari putat, quod tribus aut quatuor ex illo genere locis luce clarius apparet.

Quae postquam de singulis sententiis monui, super est, ut totius carminis dictionem accuratius paulo intueamur, ex qua non minus, quam ex illis Iuvenalem non esse huius satirae auctorem, colligendum erit. Omne enim dicendi genus tam latum atque effusum est, ut, quamvis vehementem affectum prae se ferat, tamen plerumque languescat et lectorum animos fatiget, quod ex nimia maxime et verborum et sententiarum coacervatione factum est. De sententiis ita accumulatis unum locum pro genere exhibeo vv. 147 — 164:

Sensum a coelesti demissum traximus arce,
Cuius egent prona et terram spectantia. Mundi
Principio indulsit communis conditor illis
Tantum animas, nobis animum quoque, mutuus ut nos
Affectus petere auxilium et praestare iuberet,
Dispersos trahere in populum, migrare vetusto
De nemore et proavis habitatas linquere silvas;
Aedificare domos, Laribus coniungere nostris
Tectum aliud, tutos vicino limine somnos
Ut collata daret fiducia; protegere armis
Lapsum aut ingenti nutantem volnere civem,
Cummuni dare signa tuba, defendier isdem
Turribus atque una portarum clave teneri.

Sed haec, quamvis Iuvenalem non sapere, nemo erit, quin concedat, levia sunt, si sequentia spectas, in quibus totum fere bestiarum vivarium nobis producit poeta, serpentum, leonum, aprorum, tigridum Indicarum, ursorum:

Sed iam serpentum maior concordia: parcit
Cognatis maculis similis fera. Quando leoni
Fortior eripuit vitam leo? Quo nemore umquam
Exspiravit aper maioris dentibus apri?

Indica tigris agit rabida cum tigride pacem
Perpetuam; saevis inter se convenit ursis;
Ast homini ferrum etc.

Pessima autem et perversissima ea est scriptoris consuetudo, quod eandem rem semper affinibus congestis vocabulis declarare amat, quo quum totius carminis mirus tepor ac lentitudo, tum in singulis molestae et intolerabiles interdum tautologiae exoriuntur; quarum, quum unam aut alteram inveneris in bono ceteroquin scriptore, libenter eum excusabis, tanta, quanta hic, coacervata multitudine, optimo iure condemnabis. Sed, ut copia appareat, ex his quoque gravissima saltem componam exempla. Sic dicit vv. 24, 25. „nondum ebrius et minimum qui De Cor„cyraea temetum duxerat urna"; v. 33. sqq. „vetus atque „antiqua simultas, immortale odium, *numquam* sanabile „volnus ardet *adhuc* — Sumus utrimque furor." v. 40. „primoribus ac ducibus"; vv. 47, 48. „de madidis et blae„sis atque mero titubantibus"; v. 55. „*Vix cuiquam aut* „*nulli*"; v. 95. „bellorum ultima, casus extremi"; v. 101. „maciem et tenues artus"; vv. 129, 130. „Nec poenam „sceleri invenies nec digna parabis Supplicia"; v. 134. „causam dicentis squaloremque rei [1])"; v. 151. sqq. „mi„grare vetusto De nemore et proavis habitatas linquere „silvas", ubi singula verba egregie sibi respondent.

Iam disputatione nostra ad finem perducta, evolvas, quaeso, Iuvenalis satiras, primam, tertiam, quartam, sextam, decimam vel quamlibet aliam, quibus perlectis neminem etiamnunc fugere potest, omnes tantopere praestare elegantia, satirica arte, sale, vera dicendi vi, ut cum hac satirae quasi umbra conferri et comparari omnino nequeant.

Quae quum ita sese habeant, postremo virorum quorundam doctorum removenda erit opinio, qua et vitiorum nonnullorum, quae supra attigi, et orationis minus cultae atque absolutae culpam in Iuvenalis quippe octogenarii

1) Cf. quae infra de his verbis disserui.

senectutem conferri posse arbitrati sunt, inter quos omnium instar Orellium nomino, qui argumentum illud egregium, in singulis autem multa minus elegantia neque satis perfecta putat. Quod si de egregio illo argumento sententiam meam in prioribus iam perspicue me pronuntiasse credere possum, singulas istas ineptias non ex ingenio octoginta annorum aetate hebefacto atque obtúso profectas esse, ex tota, si quid iudico, carminis dictione dilucide planeque apparet. Sermo enim concitatus, vehemens, flagrans, iuvenem sapit, non octogenarium; ubi languet, non vires cernimus imminutas ac debilitatas, facultatem desideramus poeticumque ingenium, quod negaverat natura huius carminis scriptori; peccat saepius, quia excedit, quam quia non assequitur iusti pulcrique normam.

Quae omnia quum probent spuriam esse hanc satiram, si iam eo nomine uti licet, ceterisque Iuvenalis operibus indignam, non ideo recentioribus temporibus tribuendam dixi, sed in ipso sermonis colore antiquitatem agnoscere mihi visus sum. Quapropter, quid obstet non sentio, quominus Iuvenalis aetati eam adsignem, ad quam Iunii quoque (Rustici cos. a. u. 872.) commemoratio viros eruditos vocasse videtur; sed vereor, ne perquam incerto argumento nimiam tribuant auctoritatem, quum non solum multi libri mss. pro vulgata lectione scripturam exhibeant „consule Iunco [1])", quam video antiquissimo quoque palimpsesto (cf. tab. ant. vol. III. auct. class. ed. ab. Ang.

1) Aemilium Iuncum, Commodi temporibus a. u. 935. cos. suffectum fuisse e fastis constat, (cf. Ulp. Dig. L. XL. tit. V, 28. §. 4. Lamprid. in Commod. c. 4.) quem tamen ideo non dixerim hoc Iuvenalis loco significatum esse; nam propter consules imperatorum temporibus crebro suffectos non omnium nomina ad nos pervenisse putandum est. Nihil autem refragatur huic scripturae, quod Iuncus consul non ordinarius, sed suffectus tantum erat, quum eodem modo suffecti consulis nomine tempus describi potuisse, et per se iam probabile sit, et pluribus veterum scriptorum locis confirmetur (cf. Ulp. Dig. l. l. id. Dig. L. XXX. tit. I. init.).

Mai.) comprobari, sed etiam, accepta vulgata illa lectione, aeque bene posterior eiusdem nominis consul intellegi possit, quales fuisse accepimus Iunium Silanum Sisennam, cos. a. u. 886., Q. Iunium Rusticum, cos. a. u. 915., T. Iunium Montanum, cos. a. u. 921. etc. De his autem certi nihil potest constare, id unum certissimum, Iuvenalem non esse huius carminis auctorem.

Postremo, quae aut in scriptura, aut in interpretatione perperam a superioribus constituta sunt, praeter ea, quae obiter supra iam attigi, pauca persequar. Ac primus quidem notandus est interpretum error in vv. 62 — 64.

Ergo acrior impetus, et iam
Saxa inclinatis per humum quaesita lacertis
Incipiunt torquere.

Etenim quum Rupertius coniungat „saxa quaesita per „humum inclinatis lacertis“, id non videtur respexisse, homines lapides per humum quaerentes non inclinare vel incurvare brachia, sed potius extendere. Itaque haec quidem explicatio ferri nequit; neque meliorem Achaintrius proposuit, qui inclinatis lacertis cum torquendi verbo coniungi iubet; nam neque iaculatio fieri potest inclinatis brachiis, in quibus nulla vis inest, sed intentis ac nitentibus, neque inclinata brachia legere memini, sed potius incurvata. Inclinari autem ii dicuntur, qui ad terram sese deflectunt (cf. quos Forcellini laudat, Ovid met. XI. 355. „Parsque boum fulvis genua inclinarat arenis“; Mart. I. 77, 7. „Palladis arbor Inclinat varias pondere nigra „comas“; Virg. Aen. XII. 59. „in te omnis domus incli„nata recumbit“; Iuv. sat. III. 316. „Sol inclinat, eundum „est“ usitatissimo dicendi genere.). „Inclinatis“ igitur cum participio „quaesita“ coniungendum et eo loquendi genere, quo participio passivo dativus personae agentis componitur, de Aegyptiis intellegendum est; tum lacertis pertinet ad torquendi verbum.

Deinde dicendum est de vv. 131. sqq.

Mollissima corda
Humano generi dare se natura fatetur,
Quae lacrimas dedit: haec nostri pars optima sensus.
Plorare ergo iubet causam dicentis amici
Squaloremque rei, pupillum ad iura vocantem
Circumscriptorem, cuius manantia fletu
Ora puellares faciunt incerta capilli.

v. 134. dedi lectionem omnibus fere libris comprobatam „causam dicentis“. Sic enim optimi et omnes fere Rupertii codices; „casum“ unus, Norimb. III. „lugentis“ VII inferioris, ut videtur, notae. De Achaintrii libris non satis constat, videntur autem omnes „causam“ exhibere. XV. codd. „lugentis“, ceteri „dicentis“. Orellii mss. omnes consentiunt in scriptura „causam dicentis“ praeter unum, in quo est „causam lugentis“, idemque in alio sec. m. Etiam mei omnes: „causam dicentis“, excepto uno Zwicc. in quo legitur, „causam lugentis“. Itaque de librorum mss. auctoritate ambigi non potest; stat pro „causam dicentis“. Quod si explicare volumus, statuendum erit cum Orellio, copulam esse transpositam, quam constructionem veteres grammatici „ἀπὸ κοινοῦ“ vocant, (simili modo Horatius locutus est carm. II. 19, 28. „sed idem „Pacis eras mediusque belli“, et carm. III. 1, 12. „Moribus hic meliorque fama“.) plorare ergo iubet squalorem causam dicentis amici et squalorem rei. (Inepte enim Achaintrius sensum ita extricare studuit: plorare iubet casum causam dicentis amici et squalorem rei.) Sed languida prorsus et intolerabilis fere hac interpretatione oritur tautologia, quam miror ab Orellio non esse animadversam. Quid enim intersit inter amicum causam dicentem et reum, me assequi non posse confiteor; tamen patefactis tot similibus vitiis, ex poetae more commissis, nullus dubito, quin haec genuina sit ac primaria scriptura. Dicat fortasse aliquis, recipiendum esse ex nonnullis codicibus „causam lugentis amici“, ita ut „causa“ positum sit pro condicione ac statu hominis, quod perperam infimae tantum Latinitatis esse putat Orellius, quum tamen

multa eiusdem dicendi generis exempla ex ipso Cicerone congesserit Madvigius, de fin. p. 98. Sed ne ita quidem spreta plurimorum codicum conspirante auctoritate, multum iuvamur, quum male se habeant haec prima generatim dicta, singulis deinde certisque sequentibus infortuniis. Quid quod ne tautologia quidem prorsus removetur hac ratione? namque de luctu, si ad res publicas spectare eum putamus, in proximis, si ad domesticas, postea vv. 138 — 140. iam dicitur. Neque aptior sententia Curionis efficitur coniectura „casum lugentis". Quapropter retineamus cum plerisque libris mss. „causam dicentis", concedamus autem, pravam scriptoris consuetudinem, qua eadem mutatis paululum verbis repetere solet, hoc quoque loco novo confirmari exemplo.

Sed circumscriptorem v. 136. a plerisque video de tutore explicatum esse a pupillo in ius vocato. Iam vero, quum notum sit, eos, qui in suam tutelam pervenissent, uno tempore togam virilem sumpsisse et capillos circumcidisse, hoc loco, ubi v. 137. puellares capilli faciem obtegentes atque obscurantes commemorantur, puerum illum tutela nondum liberatum fuisse statuendum est. Atqui omnia, quantum equidem scio, contra tutores iudicia maximeque rationibus distrahendis actio, quae una hoc loco intellegi posset, finita [1]) demum tutela instituebantur. Ex qua difficultate ut se expedirent interpretes, ad mira commenta confugerunt, quae commemorare nihil attinet; nam totum illud, ut tutor intellegeretur ab iisdem interpretibus praepostere excogitatum est. Itaque quum hoc loco ne verbum quidem de tutore inveniatur, non de tutore cogitabimus, sed puerum ab alio quovis homine circumscriptum esse statuemus.

---

1) Idque posteris illis temporibus eo facilius fieri potuit, quum plerique tutores, verumtamen non omnes, ante initam tutelam pupillis satisdare cogerentur cf. Gai. I. 191.

Finem iam imposueram huic libello, quum M. Haupt, vir illustrissimus, C. Friderici Hermanni „de Iuvenalis „satirae septimae temporibus“ disputationem, quae praemissa est indici scholarum in academia Georgia Augusta per semestre, quod instat, aestivum habendarum, eximia sua benignitate, qua omni modo studia mea adiuvit, mecum communicavit. Cuius disputationis magna pars in iis rebus, quas ipse quoque tractavi, maxime in quaestione de Iuvenalis exilio et de vitis, fontibus huius narrationis, versatur. Opinatur autem ex omnibus, quas ego quoque exhibui, vitis cur uni maiorem, quam reliquis fidem tribuamus, idoneam causam inveniri posse nullam, tamen tributam esse a multis illi vitae, quam alii Suetonianam, alii Probianam habuerunt quamque primo loco posui, sed nulla alia de causa, quam quia prima omnium inventa atque edita sit, aut quia Probi nomen gerat. Iam certissimum id unum putat, in hac vita non ipsa docti biographi verba, sed excerpta tantum legi, quod quum lectionum varietate, quae in codicibus inveniatur, tum multis additamentis ex aliis libris maximeque e codice Vossiano repetitis confirmetur. Quapropter ex omnibus illis vitis inter se comparatis ea eligenda esse, quae maximam probabilitatis speciem prae se ferant. Hanc igitur viam rationemque ingressus ad eam pervenit sententiam, Iuvenalem a Domitiano expulsum postea Romam redisse. De loco exilii optionem relinqui inter Scotos, quos vita Omniboniana commemorat[1]), et Aegyptum. Iam quum „in variorum

1) Quod enim scholion affert Hermannus ad sat. VII. 93. excerptum e codice bibliothecae regiae Britanicae olim Bongarsiano: „Hic autem tangit Traianum et dicit, quod cantatoribus eius praefecturas et tribunatus donet: quod Traianus sic ultus est, ut ipsi Iuvenali daret praeposituram galli (leg. belli) Scotici et numquam dedit ei successorem, qui eum adiuvaret, ubi cotidie incursus Scotorum est; atque ut sciret iratum principem, dans ei codicillos dixit: Ecce et te Philomela promovit,“ non maiorem huic narrationi affert fidem, quum aperte ex ipsa illa vita codicis Omniboniani desumptum esse, luce clarius appareat.

„codicum lectionibus diiudicandis notissimum praeceptum „sit, ut vocabulum, cuius incerta sedes sit, quamvis per „se quidem nihil offensionis habeat, tamen ipsa hac in„stabilitate suspectum reddatur; quum idem in has vitas „cadat, quarum aliae Pentapolin, aliae oasin, aliae Sye„nen afferant, tantum abesse, ut omnium testimonia pro „Aegypto pugnent, ut ipse, qui hanc commendare videatur, „consensus mutuis pugnis tollatur. Quum porro etiam „haec sanissimi iudicii lex sit, ut duabus lectionibus pro„positis eam eligamus, cuius originem aegrius a librarii ali„cuius culpa repetere possimus, pariter nunc optione in„ter Scotos et Aegyptum data, non dubitandum esse, quin „illi ipsa narrationis singularitate vel maxime commen„dentur."

Cui universo argumentandi generi quum omne fundamentum subtractum sit disputatione mea, qua id puto certissime demonstratum esse, vitarum illarum nullam esse omnino auctoritatem, nihil iam opus erit, earum rerum, quae ab Hermanno huic auctoritati superstructae sunt, refutationem temptare, quod tamen ne ipsum quidem difficile videtur. Acquiescam igitur in iis exhibendis, quae nova ex Hermanni libello, ceteroquin doctissimo diligentissimoque comperi quaeque egregie omnem meam de vitis illis sententiam comprobant atque confirmant. Primum enim vitam, quam nondum noveram, addidit, ab Iusto Lipsio e Divaei libro excerptam. Refert autem haec vita: „Iuvenalem ad mediam fere aetatem decla„masse et in Paridem pantomimum versus quos„dam non absurde composuisse — deinde versibus „iis publicatis, Domitianum pudore et ira de Iuvenale amo„vendo cogitasse; sed quum palam nihil in virum auderet, „sub honoris obtentu militibus praefecisse, qui in Aegy„ptum ducebantur. Iuvenalem autem causa praefecturae in„tellecta taedio et angore vitam finisse." Quae vita, quum priora ad verbum exscripserit e vit. I. neque in reliquis, nisi quod Domitianum intulit, multum ab ea recedat,

tam insigni exemplo fontem aperit, quo cum ceteris orta est, ut de hac quidem, qui dubitare velit, verear, ne nodum quaerat in scirpo.

Neque minus quam haec vita pro mea faciunt opinione additamenta illa ad vitam Pseudosuetonianam e codice Vossiano ab Hermanno exhibita, quibus, quod prae ceteris miror, eandem auctoritatem tribuit vir doctissimus, quam ipsius vitae verbis. Qualia autem sint haec additamenta, a librariis modo huc modo illuc adsuta, in superiore iam disputatione docui, ubi de vita Omniboniana dixi, ad cuius finem lepidus, nescio quis, scurra mirum illud de codicillo commentum subiunxit, in quo imperatorem scripsisse narrabat „Et te Philomela promovit". Similes profecto vitae I. interpolationes sunt, in codice Vossiano inventae. Prima autem, quam exhibet Hermannus (p. 14.), ante verba „Deinde paucorum versuum satira non absurde composita" inculcata, haec est: „deinde „ad poeticen se applicavit et postquam diu tacuit, uberiori vitiorum iam gliscente contagione, ab indignatione incepit: „Semper ego auditor."" Iam apparet, ex hac antiquiore haud dubie interpolatione profecta esse, quae in vita 2. (ex cod. Is. Vossii edita ab Henninio), narrantur „prima aetate siluit, ad mediam ferme aetatem „declamavit, unde et quasi diu tacuit." Deinde autem egregie comprobatur hoc additamento, quod auspicatus et coniectura assecutus sum, omnem hanc de poetae taciturnitate fabulam ex ipsius Iuvenalis primo versu repetitam esse „semper ego auditor tantum? numquamne re„ponam etc." Videtur simul alius primae satirae versus (79.) interpolatori obversatus esse, „Si natura negat, fa„cit indignatio versum." Quin ipsa quoque verba „ube„riori vitiorum iam gliscente contagione hausta esse „videntur" ex sat. I. 87. sqq.

Et quando uberior vitiorum copia? quando
Maior avaritiae patuit sinus? alea quando
Hos animos? etc. etc.

et e vv. 147 et sqq.

Nil erit ulterius, quod nostris moribus addat
Posteritas; eadem cupient facientque minores
Omne in praecipiti vitium stetit etc.

Altera autem interpolatio in codice Vossiano, quam Franckius bene iam agnovit (p. 78.), hunc finem vitae 1. apposuit: „Verum intra brevissimum tempus θεὸς αὐτός ascri„bitur divorum choro revertiturque Iuvenalis Romam, qui „tandem ad Nervae et Traiani principatum supervivens se„nio et taedio vitae confectus properantem spiritum cum „tussi exspuit.“ Iterum miror, quod Hermannus, verba, quae manifestam interpolationis speciem prae se ferunt, defendere conatus, eandem illis, quam ceteris, fidem tribuendam esse perhibuit; „ita enim comparata esse, ut, „vel si aliunde adsuta videantur, tamen antiquitus tradita „esse debeant, quia tam singularia ne summus quidem nu„gator ex ingenio arripere potuerit.“ Quae equidem viro doctissimo concedere nequeo, quum ubique, quae multo magis mira sunt et absona, sola fingendi libidine excogitata esse in superioribus plane aperteque demonstraverim. Declaratur ex hac interpolatione reliquarum vitarum discrepantia, quum vit. 2., quam supra iam codicem Vossianum in narratione de poetae taciturnitate secutam esse monui, hoc quoque loco Iuvenalis Romam revertisse tradatur. Vit. 3. illud omittit, poetam prima aetate siluisse, sed haec etiam poetam in exilio mortuum esse finxit, itaque interpolationes illas scriptor eius ignorasse videtur, idemque dicendum est de vita 4. et de vita e Divaei libro ms., quam supra posui. Ceterum idem ille codex Vossianus de Iuvenalis patria quoque intrusit quaedam, post verba vitae 1. „incertum filius an alumnus“ addens [1]) „ex Aquino Volscorum oppido oriundus, temporibus Clau„dii Neronis“, ex quibus vitam 2., quae ceteras quoque sequitur interpolationes, initium hausisse patet, „Iuvenalis

---

1) cf Franck. p. 17.

„iste Aquinatis fuit, id est ex Aquinio oppido, tempo-
„ribus Neronis Claudii imperatoris."

Haec sunt, quae addenda habui quibusque meam opinionem extra dubitationem poni, vere contendere mihi videor, quum non solum appareat, ex qua vita ceteras ortas esse putandum sit, verum etiam in nonnullis, ut in vita 2., certus ille codex indicari possit, quem in enarranda poetae vita secuti sunt scriptores.



